


BENEDICTI ARIÆ-MONTANI HISPALENSIS RHETORICORUM

LIBRI QUATUOR.

ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATI

ET

Illustrissimo atque Excellentissimo Domino

CHRISTINO MARTINELLO

Dati, Dedicati, Donati,

A CAMILLO HECTOREO

Societatis JESU Sacerdote.



VENETIIS, M DC XCVIII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D.D.

CHRISTINO MARTINELLO
PATRITIO VENETO.
CAMILLVS HECTOREVS

Se, & ſuum librum.



VIuis (Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Vir) in Ciuitate, & in Republica (vtriuſque pars, & ſplendor) cuius in gremio, velut in proprio regno, cum præclariſſimæ quęque dignitatem habeant artes, dici tamen veriſſimè poteſt, dominatur Eloquentia. Hanc, cum cæteris, quibus Romani gaudebant ornamentis, quandò apud illos, aureum, imperante Auguſto, florebat ſæculum, ad ſe deriuauit, ſtudio, & amore præcipuò Vrbs inclyta Venetiarum. Deriuatam verò ſic fouit, nutriuit, cuſtodiuit, exercuit, nobilitauit, vt abuſque primis, quibus nata fuit temporibus, à

medijs, quibus continuauit, ad hæc vltima, nihil ſentiat (perinde atque ſenectutem ignoret) detrimenti, ſed multum (tamquam adhuc ſit in flore iuuentutis) experiatur incrementi. Vnum præ omnibus fidem horum mihi facit præclariſſimum, in quo peroratur aſſiduè Forum. Suos audiui frequenter, & ſemper ſuſpexi Oratores: dumque dicentes venerabar, optabam pariter ad illos vnumquemque adducere, qui benè dicendi facultatem amaret cognoſcere. Illos enim tam egregiè Natura finxit, & induſtria poliuit, vt nihil addi poſſit à cæteris, quæ alibi in hoc ipſum orandi Magiſterium aperiuntur, Gymnaſijs: Quarè, cùm in bonum Iuuentutis ad lauream Oratoriam anhelantis doctiſſimos Rhetoricorum libros, quos Benedictus Aria-Montanus, metro iam ligatos vulgauit, nouis Typis excudere, meiſque notis augere decreuerim, non potui extra tuam Ciuitatem (veram Oratorum genitricem) Mœcenatem optare, cui conſecrarentur. Ex omnibus autem placuiſti tu mihi, CHRISTINE quoniam ex longa, qua me dignaris conſuetudine, emicuiſti peregrina quadam ſanitate Iudicij donatus, qua id, quod optimum eſt in dicendi opificio acutiſſimè ſentis, atque integerrimè probas. Hauſiſti tu quidem illam cum ſanguine, nedum cum lacte; ſortitus animum, non ſolum ad bonos mores, verùm etiam ad omnes diſciplinas, quàm optimum. Nihilominus quicunque nouit, quantus in libris euoluendis, quantuſque ſis in illis ad rationis tribunal aduocandis, nullatenus miratur ad eam perueniſſe, quam dicebam, ſanè iudicandi, integritatem.

Porrò

Porrò id emolumenti conſecutus es , vt (cùm omnes qui palàm loquuntur, tùm illos maximè, qui concionantur in Templis tam exactè cenſeas) verè ſint commendandi , quos tu commendas , eſſentque reprobandi, ſi reprobares. Quamquam, etiam ſi hæc ignorarem de te, adhuc tibi hoc obtuliſſem opuſculum, vnicè coactus ab illa, qua familiariter , planeque Venetè cum Maioribus, cum Minoribus, cum Æqualibus gratia polles, copia, varietate, grauitate, efficacia, elegantia, ſuauitate, prudentiaque Sermonis. Fatere mihi (fateberiſque ſi tantiſper ſeponas admirabilem , quam tecum geris , aut modeſtiam, aut verecundiam) quem non allicis , quem non rapis , quem tibi dulciſſimis, ſapientiſſimiſque non catenas colloquijs? Quid verò aliud eſt hoc, quàm ille dicendi vertex , ad quem omnis diligentia (ſæpè tamen fruſtrato conatu) tentat aſcendere? Quamobrem ab omnibus me approbandum ſcio , quòd Oratorias Ariæ-Montani chartas , cum meis additamentis, præclaro cuidam inſcripturus ingenio , inſcriptos tuo maluerim. Quod ſi in aliorum aures meum quoque cor me patereris effundere , ibique beneficia deponere, quibus me, ſeptem vltrà decennium annos cumulauiſti ; vererer , & iure vererer , ne reprehenderer , acriterque obiurgarer , atque omninò vt ingratus damnarer , qui numero carentibus, tibi Aſtrictus Officijs , hæc tibi tandiù prorogauerim tùm confiteri , tùm aliquo grati , & obſequentis animi teſtimonio profiteri. Quid ad hæc, Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Mæcenas? Si bene

nè te notum habeo, tu qui hactenus patientissime tolerauisti aliquid ex tuis laudibus, quas occultare non potes, delibantem, nunc ad solam, & benè tenuem reuelandæ à me benignitatis tuæ, cæterisque ignotæ, suspicionem, indignaris. Nam, quæ cunctis iam patent, cum vix inter tua merita computes, finis illa quidem celebrari, sed tamquam à nemine peculiariter considerata. Quæ verò propalarem, neque tu veritatis amantissimus inficiareris, satis vides, quanti æstimarentur: æstimata verò, in quantam tui commendationem (à qua incredibiliter abhorres) redundarent. Propterea, tùm hæc, tùm alia plurima silentio damnare compellor, ne, cui gratus apparere vellem, eumdem laudando irritarem. Hoc vnum noli mihi interdicere; vt, qualis sum, qualem esse me oportet, qualem viuere iuuat, qualem mori; qualis etiam post mortem in tumulo agnosci, & debeo, & volo, talem in hoc libro (propter Benedictum Ariam-Montanum æternitate dignum) semper victuro, me tester, Tuæ nimirum Illustrissimæ Excellentiæ addictissimum Seruum.

Ad



Ad quatuor libros

RHETORICORVM

BENEDICTO ARIA-MONTANO

Scriptos ad amicum ſuum

GASPAREM VELESIVM

ADNOTATIONES.



Ngratiam Iuuentutis, cuius bono viginti, & vno annis vacaui, literis humanioribus illam erudiendo, placuit quatuor Rhetoricorum libros ab Aria-Montano verſibus concluſos elucidare. Eo præſertim conſilio, vt quod latiſſimè à varijs dicendi Magiſtris explicatur, hic quàm breuiſſimè digeſtum habeat, adeòque facillimè in ſinu memoriæ contineat. Neque inutile crediderim fore, ſi iuberentur à ſuis Inſtitutoribus Adoleſcentes hæc ipſa, quæ conſcripſit Arias, memoriter diſcere: fieret enim vt ſemper haberent in promptu quoſdam, vt ità dicam, canones artis Rhetoricæ, ad quos, vbi ſe obtulerit occaſio ſtylum exercendi, reſpiciendo, illis Orationem conformarent. Porrò quod Horatius, & Hieronymus Vida in arte poetica effecerunt, id executus eſt Benedictus Aria-Montanus in arte Rhetorica. Quantus fuerit hic Auctor, ſuperuacaneum eſt commemorare. Vix enim mediocri-

ter eruditus eſt, qui neſciat ex primis fuiſſe luminaribus, quæ ſæculo elapſo literariam Rempublicam (præſertim verò ſacras paginas) illuſtrauerunt: eaque de cauſa hic tanti Viri libellus meretur tamquam theſaurus haberi. In meis autem, quæ ſubſequentur Adnotationibus alio nolui ſcribere ſtylo, quàm illo, qui (vt nunc moris eſt apud alienorum operum explanatores) ſententiam auctoris declaret. Reſpexi ad celebrem Diui Auguſtini ligneam clauim; quæ ſi benè, facilèque referet oſtium aureæ eſt præferenda id non præſtanti. Si aliam quàm interpretis perſonam agerem, alia phraſi vterer. His neceſſariò (vt iudicaui) præmiſſis, aggredior opus, quod dudum fui meditatus. Moneo tamen me in animo habere, alio libello edere loca Ariſtotelis, Hermogenis, Demetrij, Longini, Ciceronis, & Quintiliani, ad quæ Benedictus reſpexit: quandoquidem id nunc exequi caſus quidam prohibuit.

RHE-

RHETORICORUM LIBER PRIMUS.



I.

Pinge mihi egregiam vultu, formaque puellam,
Cuique genæ roseo surgat de lacte colora:
Lumina stellantis denigrent luce Pyropum,
Assistant labijs Veneres: sit Nasus Amoris
Quam solet hamatis pharetram complere sagittis.

ADNOTATIO.

PEr phantasiam poeticam fingit Arias, se cum Pictore verba facere, illique demandare Prouinciam coloribus insignem, omnibusque gratijs cumulatam exprimendi puellam. Proinde, iubet illam quàm pulcherrimo vultu, genis, oculis, labijs, nasoque delineari. Quid hac allegoria insinuetur, paulò post apparebit. Nihil enim aliud indicatur quàm elegantia artis Rhetoricæ suprà reliquas facultates hac ipsa elegantiæ, & pulcritudinis dote eminentis.

II.

Pinximus ——

ADNOTATIO.

REsponsio est Pictoris, qui tacito, figuratoque dialogo inducitur colloqui cum Aria operæ suæ conductore.

III.

—— Adde etiam Pario de marmore collum,
Cæruleas tenuis diuertat linea venas.
Persequere exactè auratos, numeroque capillos:
Pars micet in gemmis: coeat pars diuite nodo.
Partem etiam iubeo permittere lenibus auris.
Distingue & teretes digitos; manus ipsa niuentì
Contendat Massa: Pretiosa cætera veste

Ait

Arte laborato ex auro cum murice circum
Scribito: sed deceat cunctis in partibus, atque
Hæreat; occultosque chlamys circumnotet artus.

ADNOTATIO.

ALias ſuo pictori venuſtates oſtendit Arias, vt illas ope ſui pennicilli in tabellam imperatam congereret.

IV.

Perfeci.

ADNOTATIO.

REſpondet Pictor, ſe ad vnguem impleuiſſe quæ Arias commendauit.

V.

—— *Ecce tibi ridentia Virginis ora*
Spirantes vultus reddit, blandeque tuentes.

ADNOTATIO.

FIngitur Pictor laudare Iconem ſuam, præſertim autem vultum, cuius forma nobilitat, tùm exemplar, tùm exemplum.

VI.

Nil moueor.

ADNOTATIO.

VTcunque à ſuo Apelle hæc Helena commendetur, Arias tamen profitetur, ſe nullo modo commoneri ab aſpectu laudatæ imaginis.

VII.

—— *Sed enim totam conſumpſimus artem.*

ADNOTATIO.

PIctor ſubiratus, velutique ſe purgans, ſanctè iurat, nulla ſe peccauiſſe in opere ſuo negligentia: omnem enim in hac effigie artem, artiſque operam conſumpſit.

VIII.

At mihi non vllo pectus ſuccenditur igne.

ADNOTATIO.

ARias pictori reſpondet, ſe nihil ex illis in animo ſuo ſentire, quæ ſolent effici à puella egregiæ ſpeciei; & debuiſſent ab illa quam colorauit præſtari, ſi (quod eſt proprium picturæ) ſe ad amuſſim conformauiſſet naturæ.

IX.

Nulla tenet mentem cura, & nihil vſque labore,
Iam ſatis eſt: Vidi, Cedo, transferre licebit,
Nec ſequar, abſentis nec erit mihi cura petendæ.

ADNOTATIO.

REpudiat Arias opus à Pictore ſuo elaboratum: quod inde conijcit eſſe imperfectum, quià nullum in ſe excitauit amoris affectum.

X.

Vnde hoc? Nam Verba hic deſunt, ſuauiſque loquendi
Vſus, & his multò mentis formoſior index,
Naturæque decus, Diuumque ab imagine ſermo
Redditus, humanæ pulcherrima munera vitæ.

ADNOTATIO.

INueſtigat cauſam, ex qua nullum allata effigies affectum in ſe pepererit: aitque eam fuiſſe duplicem. Altera, quia Vox illi puellæ deeſt: altera, quià mente caret. Vox autem, & mens

mens duæ ſunt hominis dotes, quas cum ſuus Pictor non expreſſerit, idcircò ſuum prototypum Icon illa non reddidit.

X I.

Crede mihi GASPAR, quidquid mortalibus vnquam
Contigerit, vel diuitijs quis vicerit Indos,
Seù Seres cultu, claro ſeù ſtemmate natus
Prouocet Alciden bello, Victorque coronam
Eripiat, curſu valeat præuertere ceruos:
Quid moror? exactis cumula virtutibus vnum:
Sit ſapiens, ſit multa ſciens, ſit denique quiduis,
Deſiſtat vna illi facundia, cætera pictum
Iudico, & algentes vmbras, vultuſque tabellæ
Afflictos: ſunt vana, & nomina prædita nullo
Viuendi ſenſu, tenebriſque abſconditus ignis.
Quas laudes, quæ pulcra petat ſibi præmia quiſquis?
Nil homines iuuit, nulla aut monumenta ſuarum
Virtutum, nullas ſpecies oſtenderit vnquam.

A D N O T A T I O.

QVæ dixit de tabella, quæ voce deſtituatur, transfert ad hominem omni ſcientiarum genere locupletatum. Docet enim nemini prodeſſe ſuam ſcientiam, ſi careat facundia, ope cuius communicet illius theſauros etiam cæteris. Ex quo infert, hominibus doctis neceſſariam eſſe artem dicendi, vt illis, quibus cum viuunt, participare poſſint doctrinam, quam ſibi comparauerunt. Hæc autem, quæ hactenus cecinit, ſunt veluti proemium totius operis, quod in illum finem præmiſit, vt oſtendat ſe opus aggreſſum fuiſse nequaquam inutile, ſed ferè neceſſarium hominibus etiam doctis.

X I I.

Ergò vitanda tibi Gaſpar imagine cauto
Experiar monſtrare viam, qua mente tenere
Rhetoricam poſſis formam, & præcepta loquendi:
Non quod in his rerum ſpecies, facundaque verba
Comperias: nec enim niſi ſit prudentia rerum
Tum longo ſtudio, tumque vſu, & munere diuum
Parta tibi, ſi non de pectore copia fandi
Affluat, has ſteriles normas, inopeſque fatemur.

AD-

A D N O T A T I O.

Sapientissimè monet suum Gasparem Arias, præcepta dicendi inutilia esse, si non accedat cognitio rerum. Ars enim dicendi hoc vnum præstat, vt hominem Encyclopedia dotatum erudiat, illique normam ostendat seruandam, vt quæ sibi comparauit sic possit digerere, vt ex illis exurgat opus Rhetoricum. Eo prorsus pacto, quo Architectus vi suorum præceptorum materiam non suggerit Domui ædificandæ necessariam; sed illam aliundè comparatam docet disponere, vt construatur ædificium ad suas leges compactum. Quod omninò oportuit ab Aria præmitti. Multi enim sibi persuadent Oratores fore, vbi annum dederint Rhetoricis institutionibus: cum tamen hæc nullo modo sufficiant, sed petant illa disci, ex quibus mens rerum omnium notitia compleatur, vt deinde Orator de omnibus populariter loqui possit, & assensiones, approbationesque reportare.

X I I I.

Sed cum verborum cumulos, rerumque redundans
Obtulerit natura tibi, assiduusque legendi
Et labor, & studium, quo non confusa vagentur
Pectore cuncta tuo, prodanturque ordine nullo
Efficient agitata viris præcepta disertis:
Vt tanto innumero tempus non omnia quoduis
Arripiant, non in quamuis aliena ferantur
Materiam; proprijs seruentur commoda causis
Illa, hæc præsenti non desint iure petita:
Ac tandem ne te quantum benè dixeris in re
Pœniteat: neù iudicio te auditor acuto
Respuat impatiens, vitij sæuusque alieni
Arbiter, in nostrâque inuitus iura trahendus.

A D N O T A T I O.

Pergit elucidare fructum, quem pariunt præcepta benè dicendi. Est autem hic fructus, vt quæcunque nouerit in arte Rhetorica exercitatus, ità disponat, vt placens Auditoribus, illos ad suam voluntatem trahat. Quod vtique non obtineret à quacunque literatura, si desit ars benè dicendi. Quid enim hæc literatura præstaret? Nihil aliud, quàm Chaos, indigestamque molem, auditoribus deridendam.

X I V.

X I V.

Hæc etiam præcepta, libros dum voluere doctos
Instituis, comitemque manum, certumque parabunt
Indicium, vires quo & formam noscere possis,
Queis nisi soleant Sapientes, queisuè decere.

A D N O T A T I O.

PRosunt etiam præcepta Rhetorica, vt illis præditus legat cum vtilitate libros eorum, qui Rhetoricè scripserunt. Præditus enim his præceptis, manifestè deprehendet illos ideò placere, quià ex arte Rhetorica scripti sunt.

X V.

Hoc igitur, formare viam, qua incedere possis
Rhetorica est, non nempè pedes, gressumuè carenti.

A D N O T A T I O.

VEllet quicunque ad Scholam Rhetorices accedit ab illa sic discedere, vt sine alio labore iam esset Orator. Hunc errorem euellit Arias, docens; à Rhetorica formari viam, per quam ad eius metam peruenire quis possit. Cæterum, sicuti aliquam viam ingressuro necessarij sunt pedes (sine quibus nullo modo incederet, vtcunque esset complacentissima via) ità multa (præter artem Rhetoricam) oportet in illo esse, qui beneficio illius vti possit. Quod est diligenter animaduertendum, ne culpetur ars, propterеà quod ad illam accedentes, illique studentes, cum cæteris careant ab ea petitis, nullum referant ex illa, etiam post multos annos, emolumentum.

X V I.

Huic Soror est ventre ex vno cognata gemella
Præcipuo Logicen dixerunt nomine Graij,
Quæ Rationis opes, vires, neruosque ministrat
Dicenti, viuos adhibet germana colores,
Hæc vincit, victum illa sequi, parereque suadet.

A D N O T A T I O.

EX Aristotele desumpta est Doctrina huius numeri: primo enim Rhetoricorum hic Philosophus tradit Dialecticam, siue logicam (hoc est artem disserendi) respondere Rhetoricæ, siue arti bene dicendi: neque aliud intercedere discrimen, præter hoc vnum: Videlicet, Logica, siue Dialectica breuiter loquitur (adeoque similis manui clausæ, siue pugno) Rhetorica amplè; adeòque comparatur manui apertæ. Et sanè præditum esse oportet Logica Oratorem: namque illius beneficio inueniet, quæ sunt dicenda: iudicabit an proposito conducant: videbit an inter se cohæreant, & aliud ex alio consequatur: cognoscet vera ne, an falsa dicat: & quæ ab aduersario afferentur contrà se Sophismata ità dissoluet, vt ab illis maximopere caueat. Certè Thomas Phrygius, qui Commentarios vulgauit in Tullianas Orationes, ait eius viri admirabiliorem esse Logicam, quàm Rhetoricam. Nam vi logices, inuestigat, argumentatur, demonstrat, obijcit, soluit; & hæc omnia ità præstat, vt aut vera proferat, aut tam vero similia, vt prò veris accipiantur à Iudice. Propterea hac arte, quæ operationes (loquor cum Scholis) intellectus dirigit, maximè oportet esse imbutum Oratorem: licèt alia via sit illi vsurpanda, quàm vsurpetur in Scholis: In his nudè, ab Oratore autem cum ornamentis vsurpatur ab arte Rhetorica suppeditatis.

X V I I.

Ridiculos reddunt homines phalerata loquendi
Commenta, & florum dicendi ingestus aceruus,
Multiplici variata modo sententia simplex.

A D N O T A T I O.

CRedet ne sciolus Orator Ariæ-Montano? Vereor ne difficilè assentiatur huic Viro, nimis (heù!) vera dicenti. Phaleræ Verborum, vtcunque elegantium, reddunt Oratores planè ridiculos. Quare? Quia aut nihil, aut pauca proferunt. Deinde, quià putidissima diligentia ornare volunt quidquid effutiunt: cum tamen sæpè

Ornari res ipsa neget, contenta doceri;

Præ-

Præsertim se ridiculos faciunt, quandò vnam, simplicemque sententiam (animi videlicèt, rationisque partum) insulso prorsus modo multipliciter variant: Ex quo fit, vt auditor nihil post multos periodos intelligat, præter id, quod primò audiuit. Hoc errore peccatur nostro præsertim sæculo; à quo cum studeatur delectationi (vtique insanæ) non autem persuasioni, mirum est quàm frequentatur insulsæ, audiantur paraphrases, insulsæque sentiarum synonimiæ; & propterea contingit, vt garrula, loquax, & intolerabilis sit ità loquentium Oratio.

XVIII.

Illis si tantùm, studium consumimus omne,
Noctes, atque dies agitamus inania verba,
Nullo connixi rationum pondere, neruis
Defecti; nullis recti per compita habenis,
Quales ipse viros præstantes sanguine auito
Principibus natos summis, seruile videbam
Exercere genus studij, cassumque laborem.
Assiduis instant tantum, intersuntque Magistris,
Complentes numerum, vacuisne sedibus vsquam
Sit locus, & memorant annos à Consule primo
Plus decies, postquam repetunt Gymnasia, tantum
Rhetoricæ addicti: tandem didicere profari,
Aut nihil, aut Patres conscripti, & Docta Iuuentus,
Et si mille mihi linguæ, & facundia Tulli,
Mille, inquam, si sint linguæ, & facundia Tulli.
Quidnam vltrà? Nil post IN QVAM hoc deducere possunt.

ADNOTATIO.

PErgit ostendere, quàm sint illi ridiculi, qui contenti sunt phaleratis Verbis, & paraphrasi, seu Synonimiæ sententiæ, varijs vestitæ phrasibus, sed nullam afferentibus notitiam. Nam qui nihil aliud volunt, pondere rationum destituuntur (cum tamen hominis sint propriæ rationes, hoc est antecedentia, ex quibus aliquid deducitur) & præterea more effrænati equi sine habenis huc, & illuc vagantur. Deinde deplorat iacturam temporis, quam faciunt Iuuenes etiam præstantibus donati natalibus. Nam, cum impenderint plures annos alicui Gymnasio, in quo Magister huius farinæ pro-

profitentur Rhetoricam, nihil tandem sciunt, præter nonnullas formulas, quas deridendi gratia fingendo commemorat. Cæterum cum careant Logica, arte rationes excogitante, differente, & deducente, nihil deducere huiusmodi adolescentes possunt: adeoque steriles sunt, neque Orationem habent progredientem, sed insistentem, & eo prorsus loco immorantem, in quo primo incæpit.

XIX.

O gens vana, inquam, o vanissima Rhetoricorum
Temporibus nostris omni nudata lepore,
Imbellis, nullis & prædita viribus, atro
Errore immersi, cæca & caligine rerum!
Tanta nihil vos, & moueat iactura dierum?
Hic vsus patientis erit, viridisque Iuuentæ?
Heù queis vos opibus fraudatis robore tanto, &
Isto æuo tam præcipitante parandis,
Si seruare modum discendi, & lege daretur
Institui, rerumque caput disquirere primum.

ADNOTATIO.

Acri querimonia detestatur malè susceptos à Iuuenibus labores in classibus Rhetorum malè docentium. Præsertim autem dolet, nullum seruari in discendo modum, & nullam legem: Iuuenibusque non ostendi caput ex quo res petendæ sunt: Ex quo fit, vt contenti flosculis, & phaleris dicendi, eorum Oratio sit prorsus illepida, sit imbellis, & viribus destituta. Nam, & lepor, & virilitas, & pugnacitas à rebus petuntur (hoc est à notitijs suppeditatis à mente, & ingenio, siue ratione) non autem à Verbis.

XX.

At te alia ingressum sacro Sapientia Templo
Excipit, & gaudens reserat penetralia Gaspar;
Vt qui non leuiter cures virtutis amorem,
Et diuæ Doctrinæ vsum, pulcherrima certè
Ornamenta hominum, multo, & sudore petenda.
Ergò tibi Rationis opes natura benigna
Quas dedit, atque vsus vitæ, quas arte secunda

Perficis, hæ multum audentem maiora iuuabunt,
Sufficientque manus firmas, humerosque volenti
Vincere dicendo cuiuslibet ardua causæ.

ADNOTATIO.

QVæ noster Auctor commendat in Gaspare suo, hæc in suo (quicumque sit) lectore, benè dicendi cupido vellet. Fieret enim, vt Sapienter se gerendo, vinceret arduitatem omnem, quæ causarum diuersitas, numero carens, potest creare homini eloquentiam profitenti.

XXI.

Nonnè vides quantos referat tibi commoda fructus
Ars hæc, quam græco Logicen sermone vocamus?
Non etenim latiæ norunt confingere Musæ
Artibus in cunctis valeant quas condere voces,
Vt nobis longis vtendum ambagibus hic sit,
Aut certè in nostros aduectas remige fines
Compellare sono patrio, atque tenore licebit,
Rettuleritque nihil, dum sit mora nulla vocatis,
Exhibeantquè suas merces, vendantque rogatæ.

ADNOTATIO.

LOquuturus de vtilitate, quam parit Logica, purgat se, quasi verò dedeceat poetam latinum vti vocabulo græco, quale est Logice. Proinde ait, se noluisse vti ambagibus, circuituque Verborum ad describendam hanc artem, quæ Logica dicitur: & placuisse proprio illam nomine appellare. Nihili enim interest Doctori adhibere vocem peregrinam, quoties illa mentem docentis explicat benè.

XXII.

Hæc igitur varios fructus, dignosque parari
Asportat. Primum, quo possis fine docere,
Quo didicisse queas: rerum quis ductus, & ordo;
Quid socias iungat formas, quiduè incitet illis
Dissidium: iam quos agnoscant singula fines,
Seù genus indigenum fuerit, siue aduena rerum.

Adde etiam quæ fonte cadunt, & stemmate ab vno
In quasnam soleant sedes diducta migrare.
Iudicibus demum adductis, ac testibus actis
Audire, & quod quisque suum, dicatuè, negetuè
Asserere, aut causa immunem dimittere iustè.
Adde, & quæ ratio statuendi Iudicis, atque
Testis ducendi quæ sit, vel vtrumque leuandi.
Ad summam, sacros ignes quos mentibus altis
Occuluit Natura parens, hæc excitat vna,
Inceditque agitans, ac lustra per omnia præfert;
Quò reperire latens verum, nimiumque remotum
Vsibus humanis solers indagine possis.

ADNOTATIO.

NE videretur ab re, & sine maxima necessitate commendauisse Oratori futuro vsum Logices, siue Dialectices, plura illius commoda recenset. Quæ quoniam clara sunt, non est cur in illis enucleandis diutius immorer. Placet effectum, vt ita dicam primarium, Logices aperire; qui in eo consistit, vt ingenium excitet. Quod Arias asserit, dum ait, ab hac arte sacros ignes incendi, quos natura occuluit sacris mentibus. Vocat sacros ignes spiritus rationales, proprios potentiæ ratiocinatricis; qui à Logica excitantur, dum se se agitat disputando, vel cum alijs, vel secum. Proprium enim illius est disputare, hoc est in vtramque partem de eodem argumento sermocinari, modò probans, modò illud improbans: modò propugnans, modò oppugnans. Hac enim agitatione, disputatione, dissertatione tandem consequitur, vt verum cognoscat. Veritatis autem maxima cura esse debet Oratori indagandæ, vt victor euadat in causa, quam suscipit agendam. Victor autem dicitur Orator euadere, quando trahit suos Iudices ad assentiendum suis rationibus, & illa facienda, quæ sunt suæ voluntatis.

XXIII.

Annè putas tantis ornarent laudibus artem,
Et studio colerent, Graiæ duo lumina gentis,
Nicomachi natus, nusquamque ingrata Magistro
Lingua seni, tantum nisi præbeat illa nitorem?

A D N O T A T I O.

LAudat Logicam commemorando Ariſtotelem, & Platonem, eximios, maximoſque Græcorum Philoſophos, qui ſummis encomijs illam ſunt proſecuti.

X X I V.

Anguſtis igitur cum pingere cuncta figuris
Noueris, atque ſitus ſoleant quos membra tenere,
Tunc tibi proceras tempus formare dabit iam
Effigies rerum dicendo, omnique lepore
Cuncta ſequi penitus, quæ ſunt in corpore membra.
Particulas cunctas vitæ, motuſque miniſtras
Succeſſu decorare ſuo, viuoſque colores
Addere, & obiectis attollere protinus vmbris.
Tunc merces ſperanda tibi, & laus magna laborum,
Cum ſpectatores viuis perſtringere ſignis
Iam datur, atque ſtylo nuſquam fallente, manuque.

A D N O T A T I O.

NEceſſarium, nedum vtile monitum, Arias ſuo Gaſpari præbet. Monet illum, vt antequam calamum ſcribendo admoneat, tentetque Orationem (quæ eſt opus magnum, & amplum, vt patet) ſecum breuiter, & ſecluſis ornamentis meditetur hoc idem opus. Meditetur propoſitionem: meditetur probationes: meditetur exordium: meditetur diſpoſitionem, & cætera, quæ ſunt membra ſui operis magni. Orationis nimirum, quæ nihil aliud eſt, quàm multarũ ſententiarum, Verborumque in certum aliquem finem ordinata coagmentatio, & iuxta Regulas Rhetorum elaborata. Videtur mihi hoc monitum deſumptum ab arte Pictorum: qui effigiem colorandam antequam penicillo ſubijciant, ſolent prædelineare: prædelineatam verò coloribus veſtire, & vmbris circumdare. Tanti autem hæc delineatio (etiam carbone facta) æſtimatur, vt ab illa potiſſimum pendeat imaginis abſoluta perfectio. Quare valdè commendandum eſt Adoleſcenti, vt priuſquam ſtylum ſuſcipiat, mente digerat quidquid erit ſuis verbis, figuriſque exornandum. Namque rem ita prouiſam, verba, vt ait Horatius, ſpontè ſequentur: & ipſe Adoleſcens præcognitas habe-

bit

bebit difficultates, quas feret secum Oratio, quam molitur. Præcognoscet etiam quid sibi sit opus, an historia, an eruditio, an similitudo, an magni alicuius viri effatum. Præcognoscet, vbi sit immorandum diutiùs; vbi parciùs: quid sit amplificandum: quid minuendum: quid vrgendum: quid declinandum. Vt propterea Magistro, cui crediti sint Iuuenes ad erudiendum, maximè commendetur, vt illis hoc Ariæ monitum inculcet. Iuuabuntur etiam maximoperè si iisdem ostendantur Ichnographiæ, quæ occurrunt apud Commentatores bonorum Auctorum. Pater Martinus dù Cygnè Societatis Iesu, omnes Orationes Ciceronis huiusmodi Ichnographijs illustrauit. Ioannes Lubinus Satyras Iuuenalis: Horatius Toscanella epistolas Tullij. Pater Thomas Le Blanc Psalmos Dauidicos: alij alios.

XXV.

Hoc dabit ergò tibi hæc, quam nunc præscribimus artem,
Longior vt possit rerum tibi surgere imago
Dispositis diducta locis, cunctisque peracta
Partibus.

ADNOTATIO.

Docet longam (hoc est vberem variamque) Orationem pendere ab arte, quam suprà innuit. Quicumque enim, antequam stylo vtatur (si pollet ingenio, sine quo ineptus est operi literario) secum reputans quid sit dicturus, tantam sibi comparabit copiam rerum (hoc est notionum à mente profectarum) vt proculdubio longa sit euasura Oratio. Et propterea (vt plurimum) Oratores plus in breuitate laborent, quàm in prolixitate. Eaque de causa breuitati elocutionis vacantes, efficiunt abundantem rebus (hoc est sententijs) Orationem, verbis autem (vtcumque sit eorum copia) parcam: vt tandem fiat qualem viri præstantes illam volunt, Oratio densa. Legatur caput Patris Danielis Bartoli vbi in libello quem inscripsit *l'huomo di lettere* agit de hoc Orationis texendæ artificio, illud vocando *Ossatura*.

XXVI.

—— Hic nobis labor est, hæc cura docendi.
Nec tibi curandum qualisnam Musa canenti



Assonet, aut quales modulos properemus. Ad artem
Accingor (prodesse tibi quàm maximè Gaspar
Optamus) quàm mente velim te posse tenere
Vtendum breuibus spatijs; quærenda viarum
Quæ citiùs ducat, quamuis salebrosus anhelo
Interdum locus occurrat, vincenda que saltu
Rimula declini properanda aut semita cursu.
Namque hæc dum meditor, nullis mea tempora lau is,
Ornantur: virides myrthos, hederasque sequaces,
Atque omnem interdum patimur pendere coronam
Musarum antè tholos. Sint nunc mea præmia, Gaspar
Maxima, te nostros non fastidisse labores.
Forsitan, & magnis aderunt pia numina votis,
Et fuerit, cum gesta Deum, Heroumque canenti,
Tempora, perpetua repetita & fronde nitescant,
Ipsaque sacra feram, Diuumque altaribus ignem,
Et delecta iugis incendam thura Sabæis.

ADNOTATIO.

MOre Poetarum, illorum præsertim, qui aliquid assumunt docendum vt argumentum cæteroqui inamænum reddant (prout possunt) amænum, à proposito per ingeniosam digressionem diuertit. Hæc autem digressio continet excusationem, qua Arias defendit versus suos, timens, ne à Gaspare pauci fiant, quia non sunt (vt Epicorum) sublimes, & sonantes. Ait enim id à se non quæri in his de arte Rhetorica præceptis. Namque, cum duo soleant spectare (teste Venusino) Poetæ; nimirum, aut *Delectare*, aut *Prodesse*, hoc secundum sibi præfigit. Primum (inquit auctor) fortasse aggredietur alio suo poemate, si videlicet illi placuerit canere gesta heroum; quod modò sibi non proposuit. Et sanè qui docet in id vnum intentus est, vt intelligatur, & quod docet memoria teneatur; eaque ratione breuitatem sectatur, monente Horatio: *quidquid præcipies, Breuis esto.*

XXVII.

Intereà dulci socians pia munera cantu,
Et longam texam historiam, quæ maxima Diuum
Munera, quid societ pariterque hominesque, Deosque:

Quæ

Quæ via Cælicolas nostras deducat in oras,
Quodque iter ad superos pateat mortalibus ægris.
Tu mihi Gaspar eris socius, gratusque minister
Sacrorum, trepidusque ingenti, & percitus vsque
Lætitia in nostrum cumulabis gaudia pectus.

ADNOTATIO.

Arias scripsit elegantissimo, doctissimoque stylo tres poematum libros. Primus inscribitur *Humanæ salutis monumenta*, vbi de Viris, qui Christum Dominum in veteri testamento figurauerunt, dulcissimè canit; & deinde præcipua eiusdem Christi mysteria vario metro prosequitur. Et de hoc opere præsertim loquitur, cum dicit,

—— Longam texam historiam, quæ maxima Diuum
Munera, quid societ pariterque hominesque Deosque,
Quodque iter ad superos pateat mortalibus ægris.

Secundus liber illustrat minores Prophetas. Tertius Dauidicos psalmos versu latino donatos amplectitur. Quibus libris apparet, gesta Christi Domini, & Sanctorum esse capacia cuiuscumque elegantiæ; adeoque Christianum Poetam posse suum ingenium exercere, cum spe maximæ apud Sapientes laudis, in pijs argumentis.

XXVIII.

Vos & adesse velim gratissima nomina semper,
Et nunquam nostro labentia pectora, Amici:
Te Cypriane decus nostrum, Te magne Cathena
Musarum Antistes, quo Iudice, & Auspice quondam
Ornauit viridis primum mea tempora laurus,
Hesperijs optata viris per sæcula multa,
Non concessa tamen: decuerunt munera nostrum
Tanta caput: Magnum dixi tam pulcra tulisse
Præmia, sed maius, te Magne Cathena, ministro.
Te quoque More, animæ nostræ pars altera, teque &
Altera Serrane, atque ijdem duo pignora, quorum
Auxilio antiquum nomen, veteresque ruinas
Iam reparare olim meditatur Corduba Mater:
Queis etiam si posse frui nunc fata negarunt
Tam longo absenti spatio, si lumina multas
Diffluere in lacrymas cogunt sperando, licebit

(Non dubium) triste hoc fatum, mutantibus astris,
Optatos nimium, notosque reuisere vultus.
Iam mihi pro tanto voto cedenda paratur
Victima, iam gratos meditamur pectore versus.

ADNOTATIO.

Versus hoc numero XXVIII. conclusi continent Enthusiasmum, siue furorem Poeticum, à quo extra principale argumentum Arias abreptus est, multus in commemorando quatuor suos amicos. Cyprianum, Cathenam, Morum, Serranum. Plenissimi sunt amicis affectibus, præsertim autem desiderio absentes videndi.

XXIX.

Intereà nobis, Gaspar, patientibus adsis
Auribus, & si quid tibi vox non grata Camenæ
Peccarit, latices si non de fonte petitos
Obtulerit semper, nimium diuersa docenti,
Aonidum lucis ignoscas: tradere namque
Instituit Præcepta tibi, & quæ nomina quæque
Sit ratio ipsorum numerandi, dis-que-serendi:
Ne tibi inauditas dum tendit fingere voces
Mulcentes dulci sitientia pectora fluxu,
Bis tibi sudandum, duplici & quærenda labore
Ars, & nomina sint: possit quò scripta soluto
Sermone, & vulgi notulis signata tenere.

ADNOTATIO.

Reuertitur Arias ad Gasparem, cui præsertim hos Rhetoricorum libros inscribit. Præparat illum, vt excipiat sine offensione voces, phrasesque nonnullas, quibus vtetur in Opere suo. Nam cum sibi primò docere suum Lectorem proponat, illud etiam debuit præcauere, vt vitaret obscuritatem, quæ nasci facilè posset, si formulis nimium poeticis delectaretur. Cum enim Oratio poetica valdè à consueto, vulgariquè sermone discedat, est etiam minus perspicua. Doctor autem indiget perspicuitate, vt minuatur labor discenti. Quare ita se gesturum profitetur, vt quæ metro ligabit, facilè possint vulgari, pedestrique sermone edisseri. Quod etiam præstat Horatius

tius in arte; & in varijs (quos ad docendum conſcripſit) tum epiſtolis, tum ſatyris, quibus Sermonum potius, quàm Poematum nomen impoſuit. Idem etiam præſtitere quicumque aliud aſſumpſerunt argumentum, non elegantiæ, ſed doctrinæ cauſa.

XXX.

Principio quæcumque tibi dicenda parantur,
Siue fori ſtrepitus agites, ciuilia iura,
Seu grauis intentes penitus diſcrimina cauſæ,
Seu populos pietate velis conſtringere Sanctis
Legibus, obſequio addictos, Diuumque timori,
Seu pacem, ſeu bella cupis ſuadere, vel ortos
In vulgo tentes dictis ſedare tumultus;
Vel monimenta Deum recolis, feſtoſque dierum
Cultus; ac meritis extollere laudibus ipſos,
Eſt animus, Ciuemque bonum, Sanctumque Senatum:
Quodcumque, aut celebrare decus, virtutis amorem
Inijcere, & ſceleris turpes proponere vultus;
Quidquid ideſt, quod voce tibi proponis agendum,
Vnius formam ſtatues antè omnia finis.
Figendum excelſo fuerit tibi vertice ſignum
Quò tendas, quod ſæpè queas repetendo videre,
Ne vagus erranti colluſtrans omnia curſu
Nil tandem, laſſuſque via, feſſuſque labore
Efficias, iterumque petens, iterumque recurſans,
Indigna & populo exhibeas ſpectaculo, qui te
Exigat, & turpis tota explodaris arena.

ADNOTATIO.

PRæcipit Arias, ſtatuendum ſibi eſſe finem, ad quem ille qui dicturus eſt dirigat omnes partes Orationis, omnes ſententias, & omnia verba. Quod adeò neceſſarium eſt, vt qui ſine hoc careat, nomen, non dicam Oratoris, ſed hominis nequaquam mereatur. Omnis enim homo, qui beneficio mentis, rationiſque fruitur, propter finem agit. Quare verba facturus, ſæpè ſe ipſum conſulat, ſeque interroget, quid velit? quid intendat? An ſolum loqui? Id abſonum eſſet, & omninò abſurdum. Igitur, antequam accipiat calamum, ſtatuat ſecum finem, cuius cauſa ſit dicturus. Videat, an ſit ſuaſurus,

rus, an dissuasurus: defensurus, an accusaturus: laudaturus, an vituperaturus? Deinde, etiam progrediente opere suo, iterum, iterumque à se exigat illum finem quem sibi proposuerat. Ne, cum amphora cœperit institui, currente rota Vrceus exeat. Quod sanè ridiculum est, trahitque ad se derisiones auditorum. Hunc autem finem secum statuat Orator: deinde illum exponat in propositione Orationis: tandemque illius memor, ad illum semper aspiciat, vt videat an probationes, an obiectiones, an solutiones, an eruditiones, vno Verbo, an omnes sententiæ (cogitationes nimirum, notionesque mentis) an omnia verba in illum collineent. Porrò hoc præceptum Arias elucidat ducta metaphora ab illis, qui aliquò progressuri, aut iter habentes, aut currentes statuunt in vertice aliquo signum, quod illos admonet, ad illud dirigendos esse passus omnes, & omnes conatus.

XXXI.

Vidimus in Templis multos, cum Numina Diuum
Laudare instituunt, præceptaque sancta docere,
Rumpere clamosa constantes voce columnas:
Et tandem in cumulum voluentes omnia cæcum
Dum varias fingunt species, tentantque remota
Semina miscere, & toto distantia Cælo,
Nil præter somnos tandem, aut fastidia suadent,
Indigni sacro ascensu, natique sinistro
Mercurio, atque ausis violantes sacra profanis.
Vnde fit, vt multi, iam non ea Templa frequentent,
In quibus ingratis perdendas vocibus aures
Pertimeant, multi risus, causasque iocorum
Inde petant, indigna pijs, deflendaque facta.

ADNOTATIO.

QVod ætate auctoris nostri contingebat, faxit Deus, ne nostra quoque eueniat. Contingebat autem, quandò viuebat Arias, id quod reprobat; quia sacri Oratores, quos ipse audiuit non collimabant ad vnum: neque sibi statuebant finem, quem oporteret vnum esse, gloriam videlicet Dei, & salutem Auditorum æternam. Verùm quia tunc erant soliciti de aura captanda, & comparanda sibi fama eruditorum (putantes hac via se à frequentissima audiendos corona) ea de causa in-

sa insaniebant, neque prædicantes Iesum, sed semetipsos, accidebat illis, vt (deprehensa ab Auditoribus eorum in dicendo insania, omninò aliena ab homine sano, multoque magis à perito Rhetorices) eo deriderentur ex capite, ex quo laborabant, vt laudem aucuparentur. Vtinam hæc, quæ à tanto viro commemorantur, & vituperantur, veniant in manus eorum, qui se dedicaturi sunt Verbo Dei apud populos disseminando! Quandoquidem sublata ferè à Ciuitatibus (nam præter Ditionem Venetam, vix sunt reliquiæ Oratorum ad leges Romanę, Græcæque eloquentiæ dicentium) antiqua arte loquendi ad populum, sola perseuerat in ijs, qui Verba faciunt in Basilicis, locisque sacris de rebus Diuinis, de virtutis amore, de vitij fuga; par omninò esset, vt quibus hæc Prouincia demandatur, nollent esse inferiores illis Oratoribus, qui Romæ, & Athenis artem dicendi profitebantur. Neque Demosthenes, neque Tullius (eorumque imitatores) ineptiuerunt: quale esset probrum, si sacri Oratores audirentur in continuas prolabi ineptias; & quidem cum illis abundent argumenta, quàm excelsiora antiquis! quàm vtiliora! Agitur enim de gloria Dei, agitur de vita æterna, pariterque de morte æterna. Et quidem apud Auditores, qui ad sacras conciones confluunt auidi Verba diuina (non deliramenta, neque argutias prorsus inutiles) excipiendi, & ex illis proficiendi. Quod si in plenis Auditorijs, scioli quidam (vtique pauci, si cum alia multitudine comparentur) sint, à quibus damnentur Apostolici, & Euangelici Oratores; enimverò miser esset ille, qui illorum iudicio acquiesceret. Sanè, ponderato Oratoris Apostolici, & Euangelici vocabulo, cognoscetur, nihil (etiam quod spectat ad ingenium) excogitari posse sublimius. Nam Apostolicè dicere est premere vestigia Apostolorum, quorum facundia tanta fuit, vt Philosophos Gentilitatis confuderi, orbemque terrarum ab impietate ad pietatem deduxerit. Euangelicè verò loqui, quid aliud est, quàm auctorem Euangelij, Christum videlicet imitari, qui tanta gratia loquebatur, vt nihil iucundius, nihil amænius desiderari potuerit. Verè siquidem cantauit de illo Dauid: Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea populi confitebuntur tibi. Quæ tam luculenter hic volui scribere, vt Ecclesiasticæ eloquentiæ decoro, fideliumque emolumento, quantum per me fieri potest, eatur consultum. Legatur Diuus (inter cæteros) Ioannes Chrysostomus, qui adhuc florente Græcorum Areopago, tantam nihilominus gloriam sibi comparauit, vt (quod neque Pericli, neque Isocrati, neque Demo-

steni

steni datum fuit) Ioannes obtinuerit, qui appellatus fuit Os aureum, cum tamen sæpissimè extemporaliter dixerit. Verùm contraho vela; daturus illa alij vento, cum sese occasio obtulerit.

X X X I I.

Ast tibi tu certos præscribere discito fines,
Quos sæpè obserues dicens, possisque tueri
Conficias quantumne viæ, quàm plurima restent
Tendenti spatia, & ducas spectantia tecum
Agmina, dum fixis oculis, dumque auribus hærent.

A D N O T A T I O.

Clauum eundem iterum figit, quem paulò antè figere cœperat. Addit deinde, fines oportere tum certos sibi præscribere Oratorem, tum eos, quos possit tueri, hoc est cernere; & procedente Orationis tempore cognoscere, an intra illos se contineat, an extra illos vagetur. Erant autem hæc duo valdè commendanda. Nam primò certi fines sunt sibi constituendi à quocumque Oratore: quatenus videlicet de peculiari quadam re sibi proponat dicere: Deinde in hac ipsa re ità se gerat, vt facilè videat quid à se dici possit, attento loco in quo dicit, auditore ad quem dicit, & tempore quod sibi præfigit ad dicendum. Necesse fuit sic admoneri Oratores. Sunt enim nonnulli, qui plus æquo plura dicere intenti, tot sibi præfigunt dicenda, quot deinde concoquere nequeunt. Proinde nolit Orator plura dicere quàm possit: & quæ videt non posse bene dici (bene autem non poterunt dici, nisi possint ex arte Oratoria dici, quæ petit, vt ad minimum ornatè dicantur, & amplè) vel omittat, vel in aliud tempus differat. Marco Tullio fuit propositus maximus Reus, Verres nimirum, accusandus. Videbat fieri non posse, vt tot, & tam varia crimina Actione vna sic tractarentur, vt à Iudicibus æstimarentur quanti erant æstimanda. Quid fecit Orator prudentissimus? In plures Actiones diuisit: & hunc fructum collegit, vt omnia Oratoriè tractarentur, ostenderentque quantus ille fuit Reus, & quantum nactus fuerit Oratorem. Omnia dici non possunt vna Oratione, quæ sæpius spatio (ad summum) vnius horæ, definitur. Ex omnibus eligat Orator id quod sibi videtur tum primum, tum maximum, & de illo sic dicat, vt Oratorem docet.

cet. Quod an obtineant illi Oratores sacri, qui plures propositiones assumunt ostendendas, intrà limites horæ, illiusque non integræ, videant ipsi, & iudicent. Puto fieri non posse, vt Oratoriè tractentur; præsertim, vt argumentis non minus Rationem persuadendam doceant, quàm Voluntatem affectibus mouendam incitent. Illud etiam quod monet Arias illis Verbis

Conficias quantum ne viæ, quàm plurima restent
Tendenti spatia

Est diligenter animaduertendum. Nam Oratio bona erit, si faciat iter (hoc est progrediatur) mala, si nullum faciat iter hoc est non progrediatur. Dicitur autem iter facere, quandò eò rationibus Auditorem adduxit, quà confirmando suas, quà confutando contrarias, vt nihil omninò homini non contumaci, neque primis principijs contradicenti possit addi. Quod monitum ostendit, non posse ab illo id Oratore compleri, qui caret dialectica: & qui sibi non sit attentus in dicendo, adeòque quæ spectant ad hoc iter promat, quæ verò hoc iter impediunt derelinquat. Ex quo etiam elucebit, quàm impediatur Oratorium iter ab importunis descriptionibus, ab importuna eruditione, ab importunis (sic dicuntur) cogitationibus, quas appellant sententias, argutias, acumina, ingenij lumina &c. Quorsum enim? Non vtique ad argumentum.

XXXIII.

Occurrent olim forsan non pauca volenti
Dicere, quæ poscant operam, nolintque taceri
Singula, & ostentent tibi prætermissa periclum.
Hæc poteris blandè ingenio, officioque fouere,
Spemque bonam cunctis promittere, dummodò causæ
Inseruire velint primæ, seriemque tenere,
Et cedant magis optato, prò tempore, fini.
Atque ità disponas, statuas sic ordine cuncta,
Sic certis spatijs, vt soluens littore primo
Omnia prætereas, & grata voce salutes:
Atque obiter præstes operam; sic denique ad ipsam
Peruenias mètam placidus, cursuque secundo:
Nedum tu innumeris confundere finibus ipsos
Qui spectant, longo fallas, fugiasque Mæandro,
Aut saltu per cuncta leui fastigia raptus
Perstringas certi cupidos, dubiosque futuri.

ADNOTATIO.

QVædam videbuntur neceſſaria, quæ tamen non erunt talia: ſæpiùs enim contingit homini multa ſcienti multa quoque obijci, quæ, vel quoniam ei placent, vel quoniam iucunda ſunt, vel etiam quòniam apparent in illis contineri aliquid fauens propoſito, idcircò trahant ad ſe Oratorem; ſed cum periculo diſcedendi ab illo fine, qui præcipuus eſt, vnuſque eſſe debet in Oratione. Si patiatur ab his, quæ ſe ſe illi offerunt, abſtrahi, multas Oratiunculas in vna Oratione concludet: quod eſt maximum vitium. Quid igitur faciat Orator? Breuiter hæc attingat: vel etiam prætermittat. Nihil enim poteſt eſſe, aut bonum, aut vtile (multò minus neceſſarium) ſi fini frequenter commemorato noceat. Tenere ſiquidem hoc ante oculos dicentem oportet; Sibi non licere multos ſuæ Orationi fines præſcribere; tum, ne ipſe qui dicit, multiplicatis finibus confundatur; tum ne illos qui audiunt fallat, deludatque expectantes ſibi oſtendi quod primò fuit propoſitum; non autem ea, quæ deinde animaduertunt ſibi proponi. Quod recidit in monitum Horatij ad ſuos Piſones ſcribentis:

Denique ſit quoduis ſimplex dumtaxat, & vnum.

Namque ſi vnum non ſit, erit monſtrum: quod enim monſtrum non eſt, neceſſe eſt vnum eſſe.

XXXIV.

Proderit ergo prius quidnam conemur habere,
Huc conferre modos omnes, vireſque miniſtras,
Atque viam tentare, iterumque iterumque tenere,
Et tentare iterum, donec notiſſima fiant
Singula, quà plano poſſimus tendere greſſu,
Quà ve gradu incerto paulatim, atque vnde petitis
Subtrahere, hoc ſaxis cumulantes aggere firmo.

ADNOTATIO.

VTitur Arias allegoria deſumpta à Viatoribus. Sicuti enim Viator ſibi amat viam complanari, ne impediatur ad metam ſuam peruenire; non aliter præſtandum eſt Oratori ad finem ſibi præfixum properanti. Huic allegoriæ inhærens ait: Studeat diligentiſſimè Orator, vt clariſſima ſint illa, quibus vult

vult vti, tamquam argumentis ad oſtendendam veritatem, quam ſibi aſſumpſit tamquam finem ſuæ Orationis. Marcus Tullius Oratione, quæ eſt pro Milone, profitetur, ſe meridiana luce clariùs facturum, non Milonem Clodio, ſed Clodium Miloni parauiſſe inſidias. Si huic doctrinæ aſſentiemur; nihil omninò earum rerum attingemus, quæ feruentis ſe ſe obijciunt ingenio, videnturque primo aſpectu ad propoſitum finem facientia: poſtquam autem deferbuit calor, apparet nullatenus illi fuiſſe idonea. Quæ verò manifeſtè ad finem deducunt, hæc benè firmentur, hæc circumuallentur: imitantes illos, qui vt aggerem tollant permanſurum, illum ſaxis cumulant, eoque pacto fulciunt, atque ſtabiliunt. Qua metaphora inſinuatur Oratori, vt dimiſſis, quæ niſi violenter ad ſuum finem pertinent, totus in alijs ſit, quæ ſuapte natura ad eumdem ſpectant: hac enim ratione à natura adiuuabitur, quæ ſicut odit violenta, ſic amat naturaliter conſequentia.

XXXV.

Huic fini, ſiue huic metæ, quam tangere curat,
Dicendoque ſibi Orator proponit anhelus
Impoſuit nomen prædocectæ Græcia linguæ,
Atque Thema appellans, primùm ponenda putauit
Totius momenta ſibi ſermonis habendi.

ADNOTATIO.

VOcabulo proprio, petitoque à lingua græca appellat finem hactenus Oratori commendatum. Vocatur igitur Thema Orationis: vel propoſitio. Æquiualet titulo, quem ſcriptor aliquis ſuo præfigit volumini: quem titulum aiebat Plinius eſſe itentidem ſuo auctori aſpiciendum, ne ab illo aberraret: quatenus in ipſo profeſſus ſe de re aliqua ſcripturum, procedente deinde eodem volumine aliud omninò faceret. Hoc igitur Thema ſit veluti centrum ad quod, tamquã lineę ſpectent cætera, quibus Orationem noſtram implebimus; probanda ſi cum illo hæreant; improbanda ſi ab illo deflectant.

XXXVI.

Hoc tres in formas abijt, nec ſedibus ijſdem
Omnes coniunctæ cupiunt ſua quæque tueri

In-

Imperia, & proprios fines agnoscere gaudent.
Namque genus primum, cum quis laudare peractam
Instituit Ciuis vitam, chariue sodalis,
Seu memorare Deos cupiat, puerosque Deorum
Gesta Lucum, & belli fortes, aut munera Sanctæ
Iustitiæ, & leges, & quas pax longa creauit
Doctrinas, mentis quæcumque inuenta quietæ.
Nam sunt, qui summis extollant laudibus artem
Qua meruit tantos olim Polycletus honores;
Qua superare vices naturæ creditus olim,
Pingere dum Gnidum Numen contendit Apelles.
Quidam etiam, qui non contentus sancta probasse,
Et meritis laudum cumulis ornasse Deorum
Prolem Iustitiam, atque humani nominis vnum
Præsidium, & nostræ gratissima vincula vitæ,
Ingenium potuit tantæ Virtutis ad hostem
Vertere, & iniustas dictis attollere fraudes,
Ac Diuis Cœlo renuentibus vsque locare.
Nec minor est ratio, si quis scelerata malorum
Exagitare velit facta, aut si fraudis iniquæ
Commenta, aut quodcumque nefas: si denique quidquid
Ferrea posthabitis pepererunt sæcula Diuis:
Hos aditus petere, & solet hinc dicenda parare.
Tandem si grates referendæ, est hoc genus vnum
Quod sibi præscriptis hæc vindicat omnia normis:
Cui iam præsenti signatum stemmate nomen
DEMONSTRATIVVM veteres fecere Patroni,
Demonstrat quoniam tantum reprobumque, probumque,
Securus licet Auditor sis; namque hic tibi nullas
Adstruit insidias Orator, nullaque tendit
Retia, vt ad proprios furtim se transferat vsus:
Ni forsan (sed tutum est id) cogaris amare
Quas probat, & viua depingit imagine formas,
Odisse, aut dictis quas insectatur amaris.

ADNOTATIO.

Ostendit formas dicendi, & tres esse affirmat: docetque propria singulas materia definiri. Principium verò ducit à forma dicendi Laudatiua, quam etiam Demonstratiuam appellat: breuiterque capita nonnulla ad illam pertinentia ostendit. Sunt autem illa, in quibus Orator vult laudare (hoc est bonum

num alicuius reuelare) seù vituperare (hoc est malum item alicuius aperire) siue sint homines, siue Diui, siue gesta Ducum, siue opera iustitiæ, & legum, siue artis &c. Quibus capitibus comprehendit multa quidem, sed non omnia, quæ possunt ab Oratore exornari. Sed ex illis facile est conijcere etiam alia, quæ præterit: Qualia sunt Nationes, Prouinciæ, Vrbes, Horti, Turres, Classes, Machinæ &c. Quæ hic innuere volui in gratiam Iuuentutis, quæ cum sua vtilitate potest exerceri in laudationibus rerum quamplurimarum. Hæ laudationes vt veræ sint, vtile erit discere ab artificibus, & scientibus, dotes præcipuas quibus res commendantur. Laudantur Virtutes: immò exercendi calami, & ingenij gratia, Sophistæ quidam laudauerunt etiam vitia (quod ego nollem fieri) laudauerunt etiam alia, quæ in communi hominum existimatione laudem non merentur: Vt Febrim: Podagram: Muscam &c. His, quæ laudantur, adnectit alia, quæ vituperantur. Præsertim sceleratos homines; vt passim fecere Oratores antiqui: nostri autem (precipuè Sacri) vitia, vitiosſque meritis afficiunt vituperijs. Atque hæc quidem apertissima sunt. Videtur indigere peculiari ponderatione id quod continetur à versu 300. vsque ad finem huius Sectionis. Hoc genus dicendi Demonstratiuum (etiam Exornatiuum, & Epidicticum, & Panegyricum) vocatur, quià in argumento suo hoc vnum præstat, vt indicet, quod bonum est, & quod est malum. Non secus atque aliquis Pinnacothecam ingressus, cum socio ignaro rerum in illa contentarum, illi, modò hanc, modò aliam indicando tabulam, eidem explicat quid egregij, aut non egregij vnaquæque habeat. Quod est ipsum, aut laudare, aut vituperare. Hæc forma dicendi præcipuè petit Oratorem in illud attentum, vt variet suam Orationem: periculum enim est, ne sistat in continua narratione, siue in continuo modo indicatiuo. Quod si contingeret, nihil esset insulsius, & frigidius: accederet enim ad puram historiam, quæ sicuti lecta voluptatem parit, sic recitata ab Oratore desipit. Ratio est, quia quæ ab Orarore adhibentur ad multitudinem referuntur, quæ (vt sit attenta) detinenda est varietate figurarum. Quod ex genere suo historiæ (quæ legitur, non recitatur) haud conuenit. Docet prætereà Arias, ab Oratore genus Demonstratiuum tractante, nullas INSIDIAS voluntati, nulla RETIA tendit Auditori. Hoc erat profitendum, vt cognosceretur discrimen huius formæ ab alijs. Aliæ (vt paulò post) volunt trahere ad suam Voluntatem Auditorem: hæc contenta est, si Au-

ditor probet, vel improbet id, quod siue laudat, siue vituperat: eaque de causa dicitur à nonnullis genus dicendi Epidicticum, hoc est natum vt aspiciatur. Eo pacto, quo tabula alicuius pictoris proponitur in aula, in porticu, in foro, in pinacotheca, vt spectetur. Addit tamen: *Ni forsan cogaris amare quas probat, & viua depingit imagine formas, Odisse aut dictis, quas insectatur amaris.* Erat hoc animaduertendum, quià rarò deberet esse Orator contentus hac Auditoris voluptate: Debet potius velle aliquam suam vtilitatem. In genere autem hoc Demonstratiuo, collimandum illuc est, vt qui audit aut amet, quod bonum est, aut odio prosequatur, quod est malum. Hac verò ætate, qua Demonstratiuæ Orationes habentur de viris Sanctitate conspicuis, vtique contendendum est dicenti, vt Auditores virum amando, qui commendatur, eius virtutes conentur imitari, & illius patrocinio se subijcere.

XXXVII.

Altera dicendi forma est, quæ non sibi solos
Expetit assensus mentis: contenta probari
Non fuerit, si non etiam promouerit ipsum
Quisquis adest, celeremque manu, celeremque sequendo
Reddideritque auidum quæ sunt audita patrandi,
Siue sequenda ferat, magè seù fugienda profetur
Orator: cum bella cupit suadere, Ducesque,
Seù pares, seù Prætores, seù bella nouanda,
Siue probas leges, siue auersetur iniquas.
Supplicibus votis seù poscat munera Diuos,
Siue malum terris auertat, flectat & iras
Numinis orando, siue incusare relictum
Officium grato cupit, infidoque Sodali.
Iam si quis carum precibus commendet amicum,
Mæroremuè paret socijs dicendo leuare;
Hoc genus est, huc se recipit, petit, hincque ministrat
Voces. Heù nunquam te incessat dira libido
Poscere, quæ noris nimium nocitura parando,
Quæuè tibi solum commendet fœda voluptas;
Prætereà, & nihil est iucundum, atque vtile in illis,
Plusque aloes quàm mellis habent, specieque maligna
Virtutum pulcras possunt disperdere formas.
Errator, non est Orator quisquis iniquus
Contendit placidis suadere nocentia Verbis.

Diui-

Diuinum, quoddamque in commoda nostra repertum
Hoc fuit, & priscos homines à lege ferarum
Ad placidos vsus vitæ, & connubia iusta
Transtulit: Hoc Ciues coniunxit legibus æquis,
Hoc socias iunxitque manus, communia suasit
Commoda, & humanum deuinxit pectus amore.
Antiquas Thebas (notissima fama) canendo
Surrexisse olim, lapidesque venire coactos
In numerum, & pulcris distinguere mœnia portis.
Annè erit (heù facinus!) qui iam formata quietis,
Et pacata diu sub sedibus audeat vnquam
Diruere, & versis confundere vocibus vltrò?
Non mihi perdendi, sit copia sola iuuandi.

ADNOTATIO.

POst genus dicendi Demonstratiuum sequitur Deliberatiuum. Huius partes sunt suadere, vel dissuadere. Non est contentum solo (vt demonstratiuum) assensu; siue sola approbatione, & reprobatione. Hæc enim ad solam mentem spectant, & in Theoria sistunt. Tendit ad voluntatem aggrediendam: adeoque vult, aliquid aut agatur, aut omittatur. Hoc genere dicendi suadentur, vel dissuadentur (hoc est ità Auditori rationibus ostenditur aut esse amplectendum, aut non amplectendum, vt etiam petatur ab illo, vt aut amplectatur, aut non amplectatur) Bellum, Pax, & cætera, quæ commemorantur à nostro Auctore, neque diffusiùs à me explicantur, quià sunt apertissima. Prætermittendum tamen mihi non est id, quod inculcat Arias à versu trecentesimo vigesimo tertio. Quid inculcat? Inculcat, ne hoc genere dicendi, nato ad trahendam voluntatem Auditorum ad nostram abutamur in re mala. Quod equidem commendandum est Oratoribus; multo tamen magis Poetis. Nam quoties Poetæ in pura sententia sistunt, vtuntur aliquo ex tribus dicendi generibus. Propterea vtentes Deliberatiuo oportet illos omninò abstinere à suasione rerum malarum. Vt autem id magis confirmet, fabulam memorat satis notam Amphionis, qui dulcedine suæ Lyræ saxa trahens, hoc artificio dicitur Thebas ædificauisse. Quo figmento ostenditur quanta sit vis eloquentiæ, cuius est vel duros homines (vt lapides) mouere. Ast qui hanc artem possident, illa oportet vti ad Ciuitates bonis documentis, le-

gibus, moribusque ædificandas, non improbis, aut destruendas, aut inficiendas.

XXXVIII.

Tertia dicendi pars est, quæ crimina sæua
Accusat, quodcumque nefas, scelerisque maligni
Ausa, vel officium præstandum, iura, fidemque
Postulat, aut dictis studia in contraria versis
Eleuat obiectas fraudes, aut crimina vitæ;
Defenditque reos, libertatemque loquendo
Molitur: tandem hæc agitat quæcumque bilibris
Iustitia exercet, numerisque examinat æquis:
Hæc monet vna forum, lites, strepitusque ministrat.

ADNOTATIO.

QVæ superioribus comprehenduntur versibus apertissima sunt. Ostendunt enim tertium genus dicendi spectare vel ad accusandos, vel ad defendendos reos; & iudiciale appellatur. Docetur vltimo versu, hoc genus esse proprium Fori: cum Demonstratiuum, & Deliberatiuum etiam locum habeant in Templis: E quorum Rostris laudantur viri Sancti, & virtutes &c. Deinde suadetur honestas morum, & inhonestas dissuadetur. Iudiciale verò ab illis excluditur; nisi fortasse aliquandò ad conciliandam nouitatem alicui Themati, illud ingeniosè potius quàm solidè ad hanc Iudicialem formam reducatur.

XXXIX.

Si quæ res studio indiguit, duroque labore
Hæc vna orandi magnis sudoribus vsque
Indiget, & totos conatus exigit vna;
Et commenta diù meditata, & lancibus æquis
Explorata diu: Nam si reliquis ego sanctis
Doctrinis fallar, si non minus anxia cura
In cunctis mihi sit, nostris ego negligo tantum
Id damnis; mea res agitur, vel fortè meorum,
Quos doceo, quibus & minimum, fallendo, nocebo.
Non etenim solisque viam, Cælique meatus,
Atque vagos lunæ cursus, & sidera toto

Fixa Polo dum demonstro, si quandò fefelli
Exacto in numero motus, aut tempore certo,
Continuò decus auertam, nec munera Solis,
Nec deerit placidus terræ quem percipit vsus:
Sidera constabunt, constabunt tempora Veris,
Autumni, atque Hyemes sua per vestigia rursus,
Errore & nihil illa meo tardata, redibunt.
Ast multum, sibique, & multis incommodat errans
Orator: nam cum cupiat suadere loquendo
Adstantem populum, placidisque impellere dictis,
Vt sperans quicquam fugiens, auidusque sequatur,
Aut nihil efficiet, nimiumuè aduersa petitis
Dedecus vnde sibi molitur, deterat omnem
Dicendi formam, & cui sit res commoda fraudat.
Heù mihi nonnunquam contingat, quod quis iniquo
Iudicio est ausus, sibi dum præconia captat,
Et nomen docti nimium, facilisque Magistri.

ADNOTATIO.

MOnet Arias id quod certissimum est apud omnes dicendi Magistros, maximum inter tria dicendi genera esse Iudiciale. Agitur enim, aut de facultatibus, aut de existimatione, aut etiam de capite illius, cuius causa in foro agitata spectat ad hoc genus. Proinde inculcat Oratori futuro, vt omnem diligentiam adhibeat in conscribendis Orationibus huius generis. Præsertim monet, ne captandæ sibi laudis gratia dicat, quæ proficua non sunt suo clienti. Quamquam enim hæc dicendo sit aucupaturus sibi nomen docti, & elegantis Magistri, nihilominus hanc famam debet negligere, vnicè intentus in illum prò quo perorat.

XL.

Conspicuus solet is conscendere pulpita sæpe
Dicturus promissa Deum, obsequiumque, fidemque
Non vllo prius arrepto sibi tempore tantis
Cogendi in formam rebus, sacrasque videndi
(Argumenta parat causa dum commoda) chartas.
Turpius id multò quod sese antè omnia iactant
Nil legisse prius, nil consuluisse Deorum
Arcana, & nec Sacra Patrum commenta piorum.

Ergò ne ità in miseros populos illuditur, vt non
Dignos esse putes, queis horam impendere tantum
Nempè velis? sed dicta queant quæcumque mereri
Eximias laudes, & munera, quæ tibi cuncti
Supplicibus mittunt votis, admissaque gaudent
Esse tibi, quæ tu non tempore respuis illo?
Ergò nihil ducis cuiusnam munia tractes,
Quam rem agites, Diuum tibi dum commissa docenti
Religio, dum verba Deum sanctissima narras
Arcanis inclusa libris, quos non sine magno
Fas erat vlli hominum vel conspexisse timore?
Sint procul à nostris, procul hæc sint mentibus, ausa,
Atque optem potius tardi, crassique tenere
Ingenij nomen, tantum respondeat ipsis
Officijs factum; Diuis, populisque probanda.
Dicamus, tanta prò Maiestate pauentes;
Namque olim vindicta Deum testata minaces
Est iras, ac sæpe cadunt, qui Sancta timere
Non norunt, tractant leuiter, temereque frequentant.

ADNOTATIO.

Opportunissimè inuehitur contra Sacros Oratores, qui Verbum Dei socorditer tractant. Opportunissimè, inquam; Namque cum hactenus egerit de forma dicendi iudiciali, & grauitatem rerum ostenderit, quæ sunt illius propriæ; par erat vt eidem annecteret illa quoque, quæ pertinent ad animarum salutem, atque ad earumdem perniciem. Hæc omnimodè est eorum, qui magisteria Religionis Christianæ ex munere suo populis exponunt, vt virtutem sectentur, & vitia detestentur. Ostendit igitur quantam mereantur pœnam, qui negligenter id exequuntur. Versus sunt clarissimi, neque indigent longiori expositione.

XLI.

Quis durum nescit fatum miserabilis Ozæ?
Auspicium captans felix Betlemmius Heros
De Cariathæis transmissam sedibus Arcam
Instituit patriæ sacrandam mœnibus Vrbis.
Illa Dèi fuerat sedes augusta Superni,
Quam super & Iudex certa, & responsa daturus


Adstabat, vindexque Deus, populoque stupenti
Dignatus certis fuerat se ostendere signis.
Dumque ipse acceitis coniungit carmina sacris
Iessiades Numen celebrans, dum candidus Ephod
In numerum ludit cytharæ momenta secutus;
Turba nouo excipiens venientia numina plaustro
Occurrit supplex palmis, & vota frequentat.
Iam circum ingentes pulsabant sydera voces,
Intonsi in primis pueri, innuptæque puellæ
Alternis sacras patrio sermone Camænas
Concelebrant, & prisca nouant monumenta, Ducemque
Conclamant, Regemque Deum, Imperijque potentem,
Cui mare, cui terra, & rupes, cui flumina cedant,
Quem montes nec ferre queant, concussa tremore
Quem Tellus magno paueat, fumansque salutet.
Has cytharæ voces referunt, resonantia rauco
Tympana congeminant pulsu, certantque, sonora
Sistra crepant, resonantque cauis tinnitibus æra.
Dumque omnes variè pompam celebrare, diesque
Solicitant festos, atque hospite Numine gaudent,
Ecce nouis plaustrum tremit axibus, ipsa ruinam
Arca minabatur nutans, similisque cadenti.
Nam bos, seù stimulis actus, seù percitus Oestro,
Seù magis impositum Numen præsentiat, atque
Contremat, is sacro sub pondere contrahit artus,
Collaque non vsquam talem perpessa laborem.
Fortè duo fratres, proles Nedalæa, Magistri
Adstabant, plaustrique Duces, Achaius alter
Præcedit, monstratque viam, ducitque Iugules.
Alter agit retro, stimulisque opponitur Ozas.
Hic dum sacra putat iam collapsura, morandi
Impatiens, ac nil veritus, ceù Numina iactans
Contrectanda sibi, patrijs quæ in sedibus olim
Asseruata, modò nota de sede migrarent,
Accurrit, manibusque sacrum temerarius audet
Tangere, & impulsu melius super axe locare;
Protinus accensas persentit Numinis iras:
Heù puer infelix! Subita nam morte peremptus
Concidit, & miseros artus, conuulsaque membra
Prouoluit, terram pulsans bis, terque, quaterque,
Tristiaque ostendit cunctis spectacula turbis.
Iamque oculis, fixo & visu Cœlumque tuenti,

Iam muto gemitu, commotisque artubus ipsos
Innuit vltores Superos, testatur & iras
Numinis, atque docet, sanctum suadetque timorem
Protinus erectus ventura in sæcula aceruus
Indicat vltrices iras, aususque prophanos.

ADNOTATIO.

Poetæ, qui metro prosequuntur aliquam facultatem, frequenter inserunt suo Poemati narrationem, aut fabulosam, aut historicam, vt amænent spinositatem carminis, quod (cum sit intentum doctrinæ) solet esse etiam asperius. Arias ex libro Regum primo transtulit factum, quod Virgiliana vena in illum finem narrauit, vt Sacri Oratores reuerentiæ monerentur, qua sacra sunt tractanda. Prudens lector, sine commentatione, facilè intelliget, quàm aptè hoc loco posita fuerit hæc historia.

RHETORICORVM
LIBER SECVNDVS.



I.



Vnc age quæ ratio ſtatuendi GASPAR in ipſis
Partibus, & quæ ſit cuiuſuis forma, docebo;
Vt varios ineant ſaltus, indagine luſtrent
Diuerſa, quærantque & opes, & commoda captent.

ADNOTATIO.

PRoponit Arias conſilium ſuum: quod eſt Rationem oſtendere quærendi, hoc eſt inueniendi, propria ſingularum Orationis partium, & cuiuſcumque (quæ fecit tria) dicendi generis, Demonſtratiui, Deliberatiui, & Iudicialis.

II.

Nec mihi diuerſus vulgato naſcitur ordo,
Nam fuerint nobis nuſquam linquenda priorum,
Oſtendenda tamen, celebri, veſtigia, cantu.
Sic poteris, dum tu obſeruas, dumque auribus ipſam
Perſtringis Comitis vocem non fallere greſſum.

ADNOTATIO.

PRofitetur ſe non diſceſſurum ab antiquorum Doctrina (quod non eſt faciendum) ſed illam indicaturum, vt futurus Orator illi quoque adhæreat.

III.

Iam quod opus cumque, & quæcumque negotia tempus
Offerat, aſpicias, & quæ ſint, quid ſibi poſcant
Diſcute, non etenim fruſtrà venere rogatum,
Vt placidam præſtes operam, aſſiſtaſque Patronus.
Tum tibi præſcriptos habeant quos ſingula fines
Pone oculis, animoque, & certus cerne, procul nè,
An propè ſint forſan? Nam ſunt quæ longiùs abſunt

A fine,

A fine, & quibus haud multum sit semita nota.
Tota tibi, quæ se tradunt ducenda, petuntque
Maiora ingenij auxilia, ex te totaque pendent.
Et sunt quæ spatio distant breuiore, tenentque
Iam fermè signum, minus hæc tibi dura, minusque
Sunt operosa tibi; facilè deduxeris ipsam
Ad metam, properant ipsa, & præcurrere gaudent.
Hinc maior tibi laus cedit, minus inde laboris.

ADNOTATIO.

PRæceptum vniuersale tradit Arias, docetque quid sit Oratori præstandum. Videlicet, *primò*, quandò illi offertur aliqua causa tractanda, illius circumstantias consideret, vt ex illis cognoscat, quo artificio (siue consilio) sibi sit procedendum. Hoc monitum commune est vnicuique ex tribus dicendi generibus, quæ libro superiore declarauit. *Secundò* consideret quibus argumentis probari (hoc est ostendi ità se habere, vt contendit Orator) possit propositio (quam & libro iam explanato, & hìc appellat Finem) accommodata illi dicendi generi, ad quod deprehendit spectare. *Tertiò* sciat hæc ipsa argumenta duplicis esse classis: alia sunt insita rei, aperta & manifesta (quod infrà magis apparebit ab exemplis, quæ proferet) adeòque minus ingenij petunt: alia verò sunt obscuriora, & remotiora à fine (seù propositione) quem suprà appellauit Thema. Hæc petunt solertiam ingenij, cuius ope vel rationes illæ, quæ disparatæ videntur, & alienæ à proposito Oratoris, adducantur, vt videantur illius proprijssima. Prima argumenta minus laboriosa sunt; secunda plus sunt ingeniosa: & proptereà præmium, quod Orator ab vsu priorum reportat, est facilitas, quæ labore caret; aliorum est laus, quæ debetur ingenio solerti, acutoque in trahendis ad rem propositam rationibus, quæ obuiæ non erant, neque se vltrò offerebant. Hæc in vniuersum ostensa, seù potius indicata, elucescent manifestiùs ex illis, quæ subijcientur.

IV.

Res gestas, Regumque duces, Mauortia bella
Atque triumphatum Pellæo milite Mundum.
Cunctaque Regna olim, terræque, marisque subacta
Cui non se se illa ostentant? Quem non sibi callem

Pandunt? Non deerit quid dicas sola secuto
Agmina, & instructas acies, seriemque notanti,
Fortunam belli, prædam, captæque tumultus
Gentis, & ipsa Ducis resonantia nomina ouantis.

ADNOTATIO.

EXemplum Propositionis, ad quam ostendendam, pontè rationes accurrunt, adeòque non indigent ingenio, neque labore, hic ab Aria profertur. Si quis enim, ait, laudare velit gesta Ducum, & bella à Regibus feliciter debellata, qualia debellauit Alexander Macedo, id facillimè consequetur: cum omnia incurrant in oculos, nedum in mentem Oratoris. Ex quo, discat Adolescens, facillimam (si paria cætera sint) esse Orationem generis Demonstratiui, præsertim si versetur circà Virum, gestis conspicuis, & popularibus, notum. Quis sterilescere poterit, si Diui Antonij Patauini, aut Diui Dominici, aut Diui Francisci Xauerij sint commendandæ actiones? Vbique prodigia occurrunt, vbique populorum acclamationes, vbique res grandes, naturamque superantes; ex quibus valdè pauper esset ille, qui nesciret esse abundans in dicendo.

V.

Si tamen exiguo nobis cum cortice, quo se
Hyblæumque thimum flores depasta salicti
Claudit apis, Regnum inuenias, Regesque, Ducesque,
Et pacem, atque decus rerum, Sanctumque Senatum,
Iuraque, legesque & communis commoda vitæ,
Incendas animos furijs, iraque tumenti
Solicites vix dum capientia pectora nomen
Iamque acies, cuneosque struas, geminamque phalangem,
Et tuba de tenui resonet, lituusque susurro;
Hoc opus, hic labor est: tibi nam formanda petuntur.
Cuncta hæc, Orantem agnoscunt, viresque negatas
Natura ingenio se se debere fatetur.

ADNOTATIO.

EXemplum propositionis, ad quam probandam opus est ingenio inuestigante rationes, quæ se se spontè non offerunt, affert ex minimo Insectorum, hoc est Apum. Facile est lauda-

re

re Duces, & Reges, in quibus apparent arma, & armati, & cætera, quæ paulò ante vidimus. At inuenire hæc eadem arma in Apibus, eſt arduum. Omnia tamen hæc videre eſt in quarto Georgicorum: ibi enim ingenioſiſſimus Poetarum Apes, & eorum Officia, Rempublicamque tam graphicè expreſſit, vt nihil ingenioſius excogitari propemodum poſſit.

V I.

In primis quæcumque mihi exornanda parentur
Nuda prius videam, gracili ſint corpore, ſintuè
Robuſta, & denſis conſtent compagibus artus:
Sic melius poſſim ſinuoſis veſtibus illa,
Hæc habitu tantum facili circumdare, nilque
Supplebo, nihil implebo, namque omnia recta
Omnia plena ſibi conſiſtunt.

A D N O T A T I O.

MEmorem eorum, quæ libro ſuperiore dixi, meum lectorem vellem; vbi nonnihil de hac rerum nuditate verba feci; quam hic Arias ſuggerit conſiderandam in rebus, antequam ornamentis Rhetorum veſtiantur. Nam, quæ ſunt exilia ſunt ornanda (alioqui non apparerent popularibus mentibus, quæ vix intelligunt quid dicatur, niſi per phantaſiam tranſmittantur) magis quàm grandia, quæ ſe ipſis apparent. Torquato Taxo obiecerunt eius aduerſarij nimium argutiarum vſum in ſuo poemate; dixeruntque ab illo Gigantem minio fuiſſe illitum. Quod certè dedecebat. Nam Gigas propter ſuam proceritatem minutias recuſat, quæ cæteroqui Belgicis effigiebus conueniunt.

V I I.

—— Id quoque multum
Contulerit ſuſcepta prius diſtinguere, quodnam
Quæque genus ſeruent: nam ſi perſona ſit, aut res,
Non eadem tentanda via eſt: diuerſa petentur
Ornamenta locis varijs; diuerſa ſequentur
Tempora ponendi ornatus, ratioque locandi,
Vt cuique, & vis eſt, vtque eſt natura decebit.
Ne grauibus leuia, aut calidis ne frigida ſunto

Mixta,

Mixta, nec in cæco voluantur corpore cuncta;
Nec finis decet in primis, nec prima locantur
Partibus extremis: Sapiens Natura dedit iam,
Et seriem certam, & leges quas ipsa frequentat.
Huius qui insistit gressu, & vestigia longè
Obtinet, Orator nobis, Sapiensque videtur.

A D N O T A T I O.

ITerum docet aliquid ſimile monito præcedenti. Antequam enim ſtylus admoneatur Verbis, petit ab Oratore, vt animo, ratione, mente, ſiue iudicio conſideret quid ſibi ſit laudandum (verſamur enim in ijs, quæ faciunt ad genus dicendi Demonſtratiuum) an ſcilicet ſit perſona, an res: alio enim modò illa, alio hæc commendatur. Quod idem animaduertendum eſt in penè infinitis argumentis, quæ obijci poſſunt Oratori, vt laudentur. Et proinde neceſſe eſt hæc prænoſcere, ne ſi temerè hæc faciamus, temeritatis pœnam (vituperationem nimirum, riſum, & contemptum) mereamur. Prætereà docet, cauendum eſſe vt omnia ſuo loco ponantur; ne quod primo erat dandum, detur extremo. Eſt enim Oratori aſſumenda in exemplar, & exemplum ipſa Natura, quæ in ſuis (qualiacumque ſint, aut parua, aut grandia) operibus ordinem eorum partibus debitum diligentiſſimè ſeruat. Vtinam ſtaret his legibus quicumque artem dicendi profitetur! Verè ſapiens Orator eſſet, atque appareret.

VIII.

Ergò Virum qui laudabant, Vrbemque, laremque,
Et natale solum longè, patriamque petebant,
Quærebantque loci ingenium, nomenque, situsque,
Quas artes, quos illa viros, quæ magna foueret:
Edocti cunctas partes, atque inde reuersi
Plurima susceptæ referebant commoda laudi.
Illustrant nam sæpè homines vel nomina solum,
Et titulus Patriæ, magno & discrimine refert,
Romanus fuerit, doctis an natus Athenis.
An Scytha, vel gelidi productus ad ostia Ponti.
Quod si, lustrata Patria, nihil inde tulissent
Dignum fama olim (nam cuncta obscura iacebant)
Corrigere ingenio poterant, & vertere laudi

Maiori

Maiori: tanta est Oranti parta potestas.
Iam noua dicebant, Cœlo, cunctisque stupenda
Signa dati, magnumque virum, quem cura Deorum
Finxerit à patria diuersum gente, nouumque
Et patriæ decus eximium, gentisque futurum.

ADNOTATIO.

BReuiter duo capita commemorat, ex quibus aliquis commendari potest. *Primum* desumitur à patria; & considerata patria viri commendandi, videbant Oratores, an alij præstantes ex illa prodijssent; & ex his occasionem captabant illius viri extollendi, quem laudandum susceperant. *Secundum* desumitur ab eadem patria, non feraci virorum præstantium, neque nobili, sed ignobili. Docet deinde beneficio ingenij hanc ipsam patriæ obscuritatem verti posse in encomium hominis in ea progeniti. Potest enim dici à Deo prouisum fuisse, vt patriam illam primus illustraret &c. Certè ex Ithaca oriundus fuit Vlysses, insula parua, & antequam nasceretur Vlysses ignota: & ex Arpis, oppido nominis exigui prodiuit Tullius, & Marius. Verùm cum sit Oratoris magna potestas, & vi sui ingenij, artisque benè dicendi possit ex paruis magna facere amplificando, & ex magnis parua diminuendo, poterit etiam obscura reddere clarissima; quatenus beneficio Dialectices conquirere potest adiuncta, quæ sibi in vtramque partem faueant, aut laudare velit, aut vituperare.

IX.

Nec leuiter curant natura quid afferat illis
Ingenio sexus: Varias hinc vertere formas
Laudando norunt, fuerit seù fæmina, seù Vir:
Nam iuxtà sexum vires ostendere laus est,
Si rectè ostendas; si vincas munera sexus
Laus maior: latè locus hic diffunditur, atque
Plurimus occurrit, dicendi plurima præfert.

ADNOTATIO.

ALiud caput laudationis ostendit Arias, desumptum à sexu: deinde docet viam fæminas ipsas laudibus prosequendi: Vel enim præstiterunt quæ propria sunt sui sexus; & hoc

magni

magni est faciendum. Quo pacto Lucretia celebrabitur, quæ vsque ad mortem seruauit fidem marito. Vel suprà sexus vires consuetas se extulerunt; & ex hac prærogatiua laus exurget excelsior. Certè Amazones præbuerunt materiam earum laudatoribus; quià neque colo, neque fuso contentæ, arma susceperunt, & prælia. Quid dicendum erit de fæminis, quas Christiana Religio veneratur? Quid de Catharina Virgine, & Martyre? Quid de Felicitate septem filios morti constantissimè obijciente, illosque animante, ne Tyranni furorem pertimescerent? Quid de Vrsula exercitum Virginum, ad instar Imperatricis, in prælio prò Virginitate suscepto confirmante? Viden' lector quàm vasti aperiantur ad laudem alicuius, etiam mulieris, campi.

X.

Nec minus est, quibus à Patribus sit natus habere;
Obscurus, primumque nitens, an stemmate auito
Lampade virtutes patrias, lucemque sequatur.
Ingenio quo sit quærendum; quisque Magister
Adstitit, & quas res didicit, queis artibus auctus,
Imbutusque fuit: docuit quid, præbuerit quæ
Doctrinæ exempla: vt cuncta illi tempora vitæ
Dispertita patent, & quonam exercita cultu,
Quid dignum gessit, rebus quæ præmia gestis?
Ipse etiam à cunctis spectabitur exitus, atque
Quid suprema dies ostendat, quoque decore
Drcedat: quid fata probent, vtque vltima primis
Conueniant, gelidas cineres quæ fama secuta est.
Idem suscipitur vitæ, & dicentibus ordo.

A D N O T A T I O.

VArios fontes reserat Auctor noster ad laudes alicuius prosequendas: quos Lector se ipsò facillimè potest cognoscere. Tandemque concludit, Laudatori illum esse ordinem seruandum, quem viuendo seruauit laudandus. Opus esset hic explicare monitum hoc, vt caueatur, ne Orator fiat historicus; cum etiam scribens alicuius vitam, sectari soleat in scribendo ordinem, quem tenuit in sua vita ille, cuius facta literis mandantur. Verùm suo loco id exequar: vbi declarabo, quomodò res inuentæ (quarum inueniendarum hic ratio præ-

scri-

ſcribitur) ità ſint diſponendæ, & ornandæ, vt Oratoriæ euadant. A forma enim fit, vt vel ſint Hiſtoricæ, vel Oratoriæ, vel Poeticæ &c. Certè eſſet res adoleſcenti perutilis, ſi aliquod ſuſceptum thema ita variaret, vt ex illo conficeretur *primò* Dialogus (qui eſt infimæ inter omnes ſcriptores formæ, recedit enim minimùm à conſueto, pedeſtri, quotidiano, vulgari, & inartificioſo ſermone, vt patet in Comœdijs Plauti, & Terentij) *deinde* epiſtola: *tertiò* hiſtoria: *quartò* Oratiuncula: *quintò* epigramma: *ſextò* elegia: *ſeptimò* enthuſiaſmus epicometro conſcriptus: *octauò* narratio verſibus hexametris comprehenſa: *nonò* Ecloga: *decimò* Ode: *Vndecimò* elogium: *duodecimò* inſcriptio: *Decimotertio* declamatio. Imò hæc eadem laudarentur, deinde vituperarentur. Eadem ſub forma ſuadendi, & diſſuadendi: abſoluendi, damnandi exhiberentur, &c.

X I.

Iamque erit, vtque locos cunctos luſtrando pererres,
Sed vacuos videas plures nihil inde labori
Suſcepto proprium inuenias, ac laudibus aptum.
At forſan magis infame id, dignumque notari.
Nil deſperandum, namque hæc potes, ingenioque,
Arteque mollire, & minus vſque nocentia verbis
Reddere

A D N O T A T I O.

PErluſtraui (inquiet aliquis) omnia loca, quæ mihi indicata fuerunt, verùm nihil in illis inuenio, quod faueat homini, cuius vellem laudes ennumerare. Omnia ſunt plena ſordibus. Quid mihi tunc præſtandum eſt? Non eſt (ait Arias) deſperandum. Ingenio, & arte (hoc eſt conſilio) eſt vtendum, & modis dicendi trahere in laudem quod cæteroqui meretur infamiam. Hoc artificio Tullius in Miloniana laudauit Milonem, qui contrà conſuetudinem fori, cum eſſet reus, noluit tamen ſordidatum ſe in iudicio ſiſtere, ſed apparuit ſolitis veſtimentis non modò indutus, ſed etiam ornatus. Interpretatus eſt, hoc ſignum fuiſſe eius innocentiæ, & inculpatæ conſcientiæ. Quod, etiam flente inter dicendum Cicerone, idem Milo non fleuerit, non proteruiæ adſcripſit, ſed generoſitati. Imitetur ergò (inquit Arias) Ciceronem Orator, quoties in eiuſ-

eiusmodi hominem inciderit, cuius laudibus omnia loca repugnant. In hoc apparet dicentis ingenium.

XII.

—— Namque solet cantando vertere Serpens
Naturam immanem, posito & cessare veneno.
Iamque olim cultu assiduo, nimiumque fouendo
Dum cauet interdum, interdumque audaciùs hæret,
Blandiùs & tractat manibus parere Magistro
Naturæ oblitum vidi, nemorisque Leonem,
Donec per vicos, donec per compita cunctis
Tractandasque iubas, & acutos præbuit vngues,
Et iucunda sui præstat spectacula, qui nunc
Horridus, & cunctis nimium intractabilis ibat.
Nil sæuum vsque adeò est, quod non mitescere sit spes,
Si modò non cultus si non patientia desit.
Sic ego, dumque locos repeto, dum lustra reuiso,
Si quid in his toruum inueniam, natumque nocendo,
Audebo, & cunctas paulatim vertere formas.
Iamque fouens, etiamque canens, nil sæuus, amicè
Tractabo, donec eadem mansueta videnda
Exhibeam, populis nimium mirantibus artem,
Ingeniumque meum, possim qui vertere laudi,
Omnibus horrendum quod sit, nec laudibus aptum.

ADNOTATIO.

QVæ hoc numero XII. continentur, sunt adeò plana, vt nulla indigeant explanatione. Duplici similitudine illustratum est monitum numeri XI., alia à serpente petita, alia à Leone. Vterque (licèt crudelissimus) arte mansuetus redditur. Igitur artis Rhetoricæ beneficio, quædam etiam, quæ cæteroqui incapacia laudis videntur, possunt laudari.

XIII.

Atque adeò si nulla boni momenta, maliuè
Comperiam, populo ne nimis suspecta, nimisque
Inuisa, & toto omninò explodenda theatro
Quocumque ipse modo tendam, studeamque referri,
Prouidus hæc numquam tentabo, quiescere passus

Sedibus in proprijs, præteruolo protinus, atque
Quæro mihi, propriumque magis, meliusque futurum.
Immò etiam interdum prudens, ea lustra tenebris
Occulo, & iniectis saxis, atque arbore tota,
Dissimulo, iam cuncta loci vestigia furtim
Deleo, ne Auditor quicquam putet inde petendum.

ADNOTATIO.

CVm præcipua cura Oratoris esse debeat, vt Auditori suo verax appareat, cauere illum oportet, ne huius opinionis iacturam faciat. Propterea, si aliquandò se se illi obiecerit homo, qui nullo ex capite, nulloque artis consilio, & industria laudari possit; Arias lectori est auctor, ne suas vires in hoc argumento consumat. Pari prudentia præscripsit Horatius Poetæ, si forte incidisset in themata nullius capacia ornamenti, vt ab illis manum, stylum, operamque remoueat docens

Et quæ desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Idem omninò præstandum est Oratori, si quando offendat argumentum nulla via commendabile.

XIV.

Quod si facta Virum, Regum vel gesta, Ducumque
Aggrederis laudare, tribus de partibus omnem
Dicendis cumulum rebus congesseris, vnum est
Quid deceat nosse, & pulcrum quid, quid sit honestum.
Hic figendus erit factis antè omnia finis;
Huc primùm vertendi oculi, atque hæc prima petendum
Præmia, ne vitam quicquam deforme per omnem.

ADNOTATIO.

VErsanti in laudandis Viris, quorum facta laudem sine controuersia merentur, hæc sunt cauenda. Videndum est, an decorè fecerit, an pulcrè, an honestè. Sunt enim hæc tria capita ex quibus merentur commendationem Viri, Duces, Reges, eorumque similes, qui sunt in oculis hominum, velutique in theatro, non autem absconditi, atque in tenebris; & (sine metaphora) priuati. Decore facit, qui faciendo seruat id quod est sibi conueniens. De quo capite (quod Decorum amplectitur) alibi erit dicendum. Pulcrè facit, cuius facta incur-

currunt propter magnitudinem in oculos. Quarè pulcrum erit in genere factorum, excidium Troiæ, triumphus Scipionis, Templum Salomonis. Honestè denique facit, cuius opus rectæ rationi cohæret, adeoque cum virtute est coniunctum. Igitur Viri, Duces, Reges cum sunt laudandi ab eorum gestis, in ijs inuenire oportet Decorum, Pulcritudinem, Honestatem.

X V.

Altera laudandi rerum pars ponderat ipsas
Tendendi vires, quanto sudore parentur,
Quasque vias habeant, & quanta pericula primùm
Vincenda. Alcidem quantis latratibus horrens
Rictibus, & quantis tentato terreat Orco
Cerberus. Ille tamen victum, vinctumque catenis
Presserit, atque Erebi tandem penetralia fortis,
Plutonisque Domos subiens, turbamque stupentem
Immanes ausus, furiasque coegerit ipsas
Cedere, & obiectis frustrà cessare colubris.
Optatis donec spolijs, prædaque superbum
Attoniti tantis ausis, plausuque benigno
Lux ipsa, ipsa dies, totusque exceperit Orbis.
Nam quæ difficili constant, magnoque petuntur
Conatu, voluere fore hæc pulcherrima Diui.

A D N O T A T I O.

SI res cęteroqui coniunctæ decoro, pulcritudini, & honestati, etiam ad finem perductæ fuerint cum magnarum difficultatum victoria, præbebunt materiam laudatori, vt valdè earum auctorem commendet. Arias producit in Exemplum id quod fabulæ narrant de Alcide abducente Cerberum à Tartareo specu in Cœli lumen. Nemo non videt, quantis constiterit laboribus, & periculis huius monstri catenatio. Quod hic de Alcide dictum est, transferri facilè potest ad alios Heroas.

X V I.

Si qua breui tamen, & facili sese obuia cursu
Exhibeant, est quod laudes; miserata labores
Esse hominum, & tenues vires, & tempora vitæ

Angusta: hinc magè se nobis vicina dedisse,
Promptaque: ceù pluuias, ceù lumina Solis, & auræ.

ADNOTATIO.

SVprà volebat Arias, laudandi occasionem captari à difficultatibus superatis. Verùm quid agatur, si nullam huiusmodi vir laudandus superauerit difficultatem? Recurratur ad artem: dicaturque, in causa rerum sine difficultate peractarum fuisse, quod miseratus fuit tenues hominum vires, & angustum viuendi tempus; & proinde illa euenisse, quæ prompta fuerunt, & parabilia, sicut lumen Solis, & auræ. Vnico verbo, ope ingenij, quære causam rei sine difficultate peractæ, cedentem in decus laudati. Quære beneficio ingenij raciocinantis, discurrentis, indagantis.

XVII.

Illud sæpè etiam rerum ostendisse memento
Laudator, quos hæc fructus, quidque vtile portent.
Maxima pars hominum vilissima præmia poscit,
Hæc sequitur, totoque petit sibi commoda voto,
Posthabitis, nudam ostendant quæ pulcra figuram.
Nil etenim refert faciat quæ exercita nullos
Sint habitura vsus. Vagus vt si flumina circum
Ipse erres leuibus testis, leuibusque lapillis,
Dexter vt oppositam semper iaculatus in oram
Traijcias cimbas saltu lambentia summas.

ADNOTATIO.

LAudabitur etiam aliquis, si ostendatur id, quod ab ipso factum fuit, in aliorum vtilitatem cessisse. Ratio est: quià plerique mortalium probant quæ sibi aliquod emolumentum creant. Idque illustrat elegantissima similitudine noster Auctor; quæ cum seipsa intelligatur, non est quod morer meum lectorem in illa explicanda.

XVIII.

Esse igitur pulcrum, magnumque esse vtile porrò
Quod dictis ornare paras, ostendere, laus est;
Atque eadem rerum est species, factique probandi.

A D-

ADNOTATIO.

BReuiter repetendo, quæ diffusiùs dixerat, concludit, eas res, & illa facta mereri laudem, quibus apparet inesse pulcritudinem, magnitudinem, & vtilitatem. Nomine pulcritudinis, intellige hìc Decorum, & honestatem: nomine magnitudinis, speciem aut rei, aut facti, quæ incurrat in phantasiam, illamque feriat, quod est maximè iuxtà naturam populi: nomine autem vtilitatis id quod affert emolumentum, & commodum.

XIX.

Vnum etiam multa amplexum præcepta docebo,
Si meminisse queas. Ex paruis maxima sæpè
Sermone efficiunt docti, fandique periti,
Instantes operi exiguo, tempusque trahentes.
At si suscepto interdum metuere labori,
Taxatasque vident libras, leuioraque Massæ
Pondera, surripiunt ascitas vndique furtim
Particulas, videas & opus procedere, nec tu
Deprendas furtum; color vnus, & vna figura est.

ADNOTATIO.

AMplificanda esse docet Arias, quæ parua sunt, vt sic magna appareant. Quod facile est præstare quoties abundat petita ab intrinseco, visceribusque argumenti materia. Verùm si hæc deficiat, tunc Orator extrinseca conquirit, quæ auctor vocat —— *ascitas vndique furtim*(hoc est artificiosè) *particulas*, vt videantur natæ, non autem exquisitæ, & artificio conductæ: imò tractæ, coactæ.

XX.

Nec tibi nunc longam rursus præscribimus artem,
Qua turpes hominum mores, atque improba facta
Res quoque non pulcras damnes, infamia rerum
Atque hominum, versis quas diximus ante probandi
Artibus: ostentat se se, non exigit vlla
Præcepta. Atque vtinam non illaudabilis vsquam

Materies, nusquam extarent præcepta premendi.
Omnia laus fierent, laudandaque cuncta darentur.
Nunc facinus facile est, facile & latrare patrato.
Innumeros videas carpendi sæpe Magistros,
Qui proprio quæcunque sinu sensere foueri
Obliti, & quasnam gestent in pectore flammas
Exagitant errata hominis communia fratris.
Heù sæclum infelix, & rerum perditus ordo!

ADNOTATIO.

EAdem est disciplina contrariorum, adeòque cum ostenderit Arias via laudandi, facilè posset innotescere via pariter vituperandi. Hanc nollet indicare; nollet enim esse causam vituperandi. Nollet etiam aliquem esse, cuius genius feratur ad carpendos alios, eosque reprehendendos: quos tamen abundare, heù, plus nimio, certum est. Propterea ad aliud genus dicendi progreditur, expletoque Demonstratiuo, Deliberatiuum aggreditur.

XXI.

Altera dicenti cura est suadere, vel alto
Pectore conceptos motus, animoque petita
Diruere, optatisque auertere finibus ipsum
Quisquis adest, cuiusque agitur res; vnde vocatum
Hoc genus est, quod proposita deliberat in re.
Nam suspensa pari discernit pondera lance
Vtraque iudicio, librisque examinat æquis;
Quidque premat trutina, aut possit quid tollere cautus
Præuidet, & partem dicendi suadet in illam,
Quæ grauiora sui ostendit momenta probatque.

ADNOTATIO.

EXplicat nomen huius generis: cumque Deliberatiuum dicatur, ostendit sic appellatum, quia veluti librat ea, de quibus verba facit, vt decidat, vtra pars mereatur (tamquam iusti ponderis, hoc est iusto conformis, & honestati, siue etiam vtilitati) approbari. Cum autem id fuerit deprehensum, tunc Orator suadet hanc partem esse amplectendam: cumque oppositam deprehenderit, tunc dissuadet.

XXII.

XXII.

Interdum Orator cautus compellere furtim
Alterius lancem partis solet, ipse parari
Quam cupiat; quoties æquantur pondera filo
Ancipiti, quotiesque videt magis illa foueri,
Quæ minus ipse velit, vel quæ nocitura putauit.
Hic labor ingenij est, hæc artis maxima virtus.

ADNOTATIO.

IVdicium Oratoris in genere deliberatiuo versantis, in illo consistit, vt eligat partem veriorem, æquiorem, vtiliorem. At ingenium eiusdem elucet, quotiescumque æquitas, veritas, vtilitasque se manifestè non produnt. Tunc enim, artificio est vtendum, vt quæ minus clara sunt, sic clara efficiat, vt Iudex, auditorque opinentur illa fauere Oratori. In quo mirabiles sunt duo Oratoriæ facultatis lumina, Demosthenes, atque Tullius. Immò antiquitus in Scholis proponebantur Themata ad declamandum, quæ consultò implicabantur, vt inde in vtramque partem dicentes excitarentur ad ostendendum, prò se æquitatem militare. Qua de causa etiam aperiebatur illis fons colorum, hoc est rationum coloratarum, quæ puro constabant ingenio, sic experrecto, vt manifestum efficeret, quod cæteroqui erat obscurissimum.

XXIII.

Multa quidem ex rebus pars hæc sibi vindicat: inde est
Quod petimus, quod & aduersi persæpè negamus;
Quod dubium, incertumque viæ compellimus ire,
Aut auidum, instantemque operi reuocamus amicum;
Solamenque mali præstabitur, inde precesque
Votaque sacra Deum, & quæcumque negotia nobis
Cum Cœlo, quęcumque oret quis numina supplex.
Omnia quęque pię tibi sunt suadenda Coronę:
Siue animos pulses pauidos, Diuumque timorem
Incutias, errata hominum seù carpere cures,
Et penitus detestandis auertere factis.
Hinc fas, hincque nefas, hinc certa piacula suade,
Siue fidem, seù spem Diuam, certæque salutis

Pignus, & in cunctis solatia dira periclis.
Hinc ducas carum cum commendare Sodalem
Fortè velis, quęcumque cupis infectaue, factaue,
Et pete quę rata vel fieri, vel tu irrita poscas.

ADNOTATIO.

AB vniuersali descendit ad particularia. Suprà docuit quid sit genus dicendi deliberatiuum: iam formas, siue species sub illo contentas indicat. Videlicet sub illo continentur, Petitiones, Repulsæ, Hortationes, Dehortationes, Consolationes, Precationes, Vota, Commendationes, & alia huiusmodi. Quidquid enim, aut volumus, aut nolumus fieri ad genus Deliberatiuum spectat. Ex quo patet illius esse amplissimos fines, eiusque vsum esse frequentissimum.

XXIV.

Argumenta petes animis Orator agendis
Proposito in primis pulcro: nam quidquid honestum est
Viribus obnixè summis, summoque petendum
Conatu, ipsa sui præfert sibi premia virtus.
Hanc quisquis norit, sensuque hanc quisquis acuto
Viderit, ò quanto feruens agitatur amore!
O quanta hanc rapiunt nostrarum obliuia rerum!
Felix ille animi, cui iam mortalia nulla
Sunt cordi, superis iam conuersatur amicis.
Sidera iamque habitat, iam terras despicit omnes
Terrigena, & terræ præsens gaudetque benignis
Muneribus Diuum, sapiensque, & lumine puro
Peruidet errores hominum ratione carentes,
Et docet, & placida suadet meliora loquela.

ADNOTATIO.

HOnestatem propositam esse Oratori genus deliberatiuum tractanti, docet Arias. Et iure: alioqui perniciosissimus esset humanæ Reipublicæ. Cum enim validæ sint in vtramque partem eloquentiæ vires, misera esset nostra mortalitas, si contrà honestatem (hoc est contrà illa, quæ sunt conformia rectæ rationi) exererentur. Omnia, quæ hoc numero comprehenduntur, sunt, vel citrà explicationem, clarissima.

XXV.

XXV.

Primum igitur sit Sancta tibi pulcherrima rerum
Virtus, illius numquam vestigia linquas,
Quà te cumque feret cedas, agilisque sequaris;
Siue per angustos calles, siue ardua monstrat,
Pronaue, præcipitemque sibi minitantia casum
Fortem animum præstes: Nihil hanc tenebrosa viarum
Solicitant, nil cuncta mouent: Discrimina vinces,
Vincens: hoc illi Diuum sator, atque hominum Rex
Præstitit, vt voto numquam frustrata, coronam
Nomen & æternum, non & casura reportet
Præmia, deuictis vel quæ fortuna periclis
Obijciat, vel quæ inuidiæ commenta malignæ;
Quæque metusque, minæque truces, non fulmina terrent
Virtutem, non assiduis agitata procellis
Æquora, non magno concussum murmure Cœlum.

ADNOTATIO.

QVæ hactenus hoc numero XXV. prosecutus est Auctor noster, non tam sunt præcepta, quàm exhortatio ad virtutem sequendam. Quod idcircò hic voluit facere, siue vt variaret, simulque suum carmen amænaret, & hac digressione suum Lectorem recrearet; siue vt practicè ostenderet, quomodo Orator Auditores possit ad Virtutis amorem ex hoc genere dicendi pellicere.

XXVI.

Hęc sibi cum suades dicenti prima locabit
Fundamenta, dabisque operam quo munus honesti
Prępones, ipsum celebres, & pectora vulgi
Concutias sacro affectu, & virtutis amore.
Plurima ad hoc dederint sacrę tibi munera chartę,
Quęque olim Hebręis Patribus dictata leguntur:
Aut Arabum celsis in montibus, aut Iebusęis
Arcibus, intrà aditus, Solymique oracula templi,
Quęque per æternam sobolem Deus ipse stupentes
Edocuit populos quondam, gnatumque loquentem
Visibus humanis, & nostro pręstitit Orbi.

Et quę per caros comites, sociosque laborum
Sanctarum interpres legum Deus ipse supremo
Patre satus, populique salus, certusque Magister
Tradidit, in quò pios post se vulganda reliquit.

ADNOTATIO.

Antiqui Oratores petebant Doctrinam honestatis siue virtutis à libris Platonis, qui iure habitus fuit magnus illius Magister; præsertim, quià cum Socratem audiuerit (virum prout ferebant sua tempora, lumine euangelico destituta honestissimum) censebatur eius dogmata in suas paginas transtulisse. Vel si Platoni non adhærebant, adhærebant aut Pythagoræ, aut Zenoni, aut Epicteto: deinde insequentibus etiam temporibus, etiam Senecæ, vel Catoni, qui Romæ habiti fuerunt Morum incorrupti Præceptores. Arias suum Oratorem amandat ad Sacros libros vtriusque testamenti. Hoc nollem aliquis existimaret sacris tantum Oratoribus commendari. Vellem (vt est) intelligeret quoque humana, ciuilia, politicaque tractantibus inculcari. Eaquè de causa, qui causas agunt in celeberrimo Venetæ Reipublicæ foro, gaudent testimonijs Diuinarum paginarum; easque frequentant: præsertim sensus literales amplectendo, qui sunt efficacissimi ad probandum.

XXVII.

Diuinis ergò ex Verbis reputemus honestum,
Et pulcrum; nam certa sonant, neque fallere quicquam
Norunt, diuersumque via seducere auentem
Discere. Quid proprio referant pia Numina dicto
Hoc primum repetas.

ADNOTATIO.

Causam aperit Noster Auctor, quæ illum mouit, vt Oratorem de virtute, & honestate verba facturum amandaret ad sacras paginas. Fuit autem, quià nihil docent, quod verum non sit, quod certum, quod indubitatum, quod omni defæcatum errore. Hanc dotem quanti oporteat fieri ab homine sapiente, non est, cur laborem in declarando: Res ipsa loquitur.

XXVIII.

XXVIII.

—— Posthęc tibi prisca loquantur
Scripta Virum, leges ęquę, sanctęque secutę
Lumen, & à sacris ornantia iura loquelis.
Virtutum scriptas formas, verosque colores,
Et totam pulcri effigiem, vnde vnde petitam
Multa leges, multa & volues, nam plurima sunt, quę
Expedit orantem variè didicisse, perennem
Si cupiat laudem, proprium si expendere curat
Vt deceat munus, si publica commoda captet.

ADNOTATIO.

PRæter sacrarum literarum fontes, alios etiam indicat, ex quibus deriuari potest notitia honestatis. Sunt verò libri Virorum, tum piorum, tum doctorum. Sunt etiam codices Iuris vtriusque, tum Ciuilis, tum Canonici: quibus post Diuinas chartas nihil est præclarius ad omnem honestatem insinuandam. Tandem, ad omnes libros confugiat Orator, qui boni sint; vt fiat ad instar sagenæ ex omni genere piscium congreganti, & exinde eligenti quid sibi, suoque argumento conducat, & quæ nequaquam conducunt derelinquenti. Hac ætate plenissimæ sunt Bibliothecæ librorum Oratori profuturorum, si benè illis vtatur. Illi ego sum auctor, vt doctos maximè voluat; præsertim, familiaria sibi reddat Opera Diui Thomæ Aquinatis, Sanctorum Patrum, Aristotelis, Senecæ, Plutarchi, Epicteti ab Arriano illustrati: & Platonis.

XXIX.

At quoniam non vna hominum mens omnibus æqua est,
Non eadem visus acies, qua cernere possint
Vera bona, atque omnes non in Virtutis amorem,
Non in pulcra omnes, amoto errore, feruntur,
Sed bona pars falsa specie decepta bonorum
Vtile præponit pulcris, & commoda laudi;
Dicentis studium fuerit coniungere honestis
Vtilia, & vulgus forma percellere vtraque.

ADNOTATIO.

NOn ſemper vulgus honeſtate mouetur. Idem enim vulgus, quod amicitias (vt canebat Ouidius) vtilitate probat, eàdem etiam vtilitate motus aut amplectitur, aut euitat quæ ab Oratore proponuntur. Propterea aliud caput proprium generis deliberatiui ab vtilitate petitur. Adeòque quotieſcumque in eo verſatur Orator, curet conquirere argumenta ab vtili: ſatagatque ità ſe gerere, vt oſtendat idem, quod honeſtum eſſe contendit, eſſe pariter cum vtilitate coniunctum.

XXX.

Interdum coniuncta patent, ſeriemque bonorum
Conſeruant vno deducta ex fonte, ſuaque
Natura fuerint eadem: cumque vtile honeſtum
In ſocias abeunt formas, vnamque figuram,
Hoc magè quærendum eſt, facilis nam conſtat agenti
Suaſus, ſi formam liceat proponere eamdem
Vtilis, & pulcri: nemo eſt qui ferre recuſet
Pondera, quæ magna captus mercede ſubiuit.
Pulcher bonos raros capiat, quos ſidera magnos
Finxere: At molles animas, vulguſque videmus
Præmia mercedes operum, quodque vtile credant,
Viribus hæc ſummis ſummoque parare labore;
Et petere hinc magnis olim tentata periclis
Æquora, & hinc dubiam quæ oſtentant bella ſalutem.
Hinc raſtros eſt paſſa graues, hinc Dædala tellus
Defoſſumque latus, penetrataque viſcera queſta eſt
A proprijs natis, occultum vt redderet aurum,
Quæque ſinu celata diù ſunt munera auaro:
Tantum animos, vireſque mouet ſpes vtilis auri.

ADNOTATIO.

COmmemorat vim, quam habent ad perſuadendum, Honeſtas, atque vtilitas ſimul coniunctæ. Propterea inſudandum eſt Oratori vt has inueniat. Deinde exaggerat pondus vtilitatis; quod efficaciſſimum eſt ad animos incitandos, vt vel difficilima quæque ſuſcipiant. Quod varijs exemplis manifeſtum reddit.

XXXI.

XXXI.

Has formas, atque hæc rerum momenta parabunt
Propositi rebus fines, atque exitus ipse,
Cætera quæ audentes sociabunt, quæque sequentes.
Ipsum etiam se sponté oculis perferre videndum
Vtile sæpè solet, speciemque probare probandam;
Quippe minus diuina gerat primordia, crassum
Sit magis, & duros possit perstringere sensus;
Nam pulcri momenta animis censenda parantur,
Quos mage purgatos virtute, & munere Cœli
Dij faciles, & multa dedit perceptio rerum.

ADNOTATIO.

MVlta, quæ vtilitatem contineant argumenta (quæ vocantur ab Aria *formæ* & *rerum momenta*) suggeruntur à finibus quas sibi proponunt res: E. gr. Mercatura sibi proponit augere pecunias negotiando: eloquentia comparare sibi diuitias dicendo: Militia pugnando &c. Suggeruntur etiam ab exitu, quem sortiuntur. Deinde ab adiunctis, quorum alia sint antecedentia, alia consequentia, alia concomitantia. Vtilitas verò se ipsa se manifestat plus quàm honestas. Ratio est, quià sensibus maximè subiecta est; honestas autem non item. Quo modo loquendi docemur, efficaciorem apud populum esse argumentum ab vtilitate petitum, quàm ab Honestate.

XXXII.

Quod superest, vt non possit te fallere suasus,
Sed vincat, cunctosque trahas; Monstretur ad vnguem
Copia tentandi, facilisque ascensus ad id, quod
Informare velis: Nam quod desperet agendum
Audierit frustrà quiuis, frustraque rogabis.
Tandem igitur tu sterne viam, facilemque petitu
Ostende, atque aditus monstra, queis libera possit
Turba gradi, nec pertimeat tentare recentes
Accessus: hortare animos, percurre sequentes
Dicendo, atque refer monstrata exempla priorum.
Moueris hinc cunctos, nullum vecordia tardum

Red-

Reddiderit, quisquis credat pulcherrima quisquis
Vtilia, & facili speret vincenda labore.

ADNOTATIO.

VT persuadeatur aliquid alicui, est illi ostendendum id, d quo agitur facile esse, nedum possibile. Sicut enim quæ fieri nullo modo possunt nemo tentabit; ità ægrè, quæ difficili putabit. Propterea ars Oratoris deliberantis omninò curet facilitatem rei ostendere, & illam diligenter illustrare. Nequ enim est satis illam veluti per transitum indicare; oportet in illa immorari, illamque diligenter sus, deque versare: quod est proprium Oratoris aliquid volentis.

XXXIII.

Sed quoniam fugienda etiam proponere dictis
Accidit, atque instant damnumque, malumque, monere;
Iam nobis monstrata via est, qua auertere possit
Intentos animos, si scilicet omnia veris
Depingat formis, & turpe, & inutile dicat:
Nec facile inuentu quidquid cupiere, nec artis.
Altera sit ratio, quàm vis diuersa probando,
Quàm reprobando fuit, præceptis vnicus ordo est.
Hactenus, & laudum formæ, momentaque Pithus.

ADNOTATIO.

ORdo rerum petit, vt quemadmodum docuit artem bona persuadendi, sic mala dissuadendi tradat. Verùm ab hac parte se expedit Arias, dicendo, oppositam esse premendam viam ab Oratore, qui velit dissuadere. Dicat rem esse inhonestam, esse detrimentosam, esse difficilem. Hocque documento breuiter nobis relicto, finem imponit ijs præceptis, quæ faciunt ad genus dicendi Demonstratiuum, & Deliberatiuum, transitque ad tertium, nempè ad Iudiciale.

XXXIV.

Tertia nunc restat dicendi & maxima cura,
Quæque mouetque, agitatque animos, quæ munera Iuris
Solicitat, cui vita subest, miserumque nocentum

Supplicium; cui, diuitiæ, causæque seueræ,
Et strepitus, vndæque fori, & ciuilia cuncta.
Hinc noti celebres quondam, dictique Patroni;
Nam laudes, suasusque hominum, & communia quæque
Commoda vel sese ostentant, facileque sequentes
Perducunt, dum quisque sibi benè consulit, atque
In proprios vsus aliena negotia transfert.
At miseras hominum causas, vocesque reorum
Pauci suscipiunt; aliena iniuria paucis
Fit grauis: Vt primum sese extricare malignis
Cassibus, aut agili trasmittere retia saltu
Quisque valet, syluis tutus sese abdidit altis,
Securus deserta ferat quid turba suorum,
Seù canibus vexata animam, saltusque relinquat,
Excipiatuè leues calamos, rabiemque veneni.
Vsque adeò exigua est pietas, & cura iuuandi.

ADNOTATIO.

Magnifico prorsus exordio præparantur Lectores, vt Genus iudiciale putent æstimabilius genere dicendi tum Demonstratiuo, tum Deliberatiuo.

XXXV.

Hinc quondam, & præcelsi animi & præclara Virorum
Pectora in hanc vnam studuere impensiùs artem,
Maiores & opes, & maxima premia quisque
Fortunis socium duxit, vitaque tuendis.
Felices igitur magnæ & præconia famæ
Commeriti, & miseras hominum fulcire ruinas
Soli ausi, soli Officium reuocare paratum
Cedere, feruentes vitijsque relinquere terras.

ADNOTATIO.

Finis imponitur exordio præparanti Lectorem ad ea, quæ dicenda sunt de genere iudiciali, commemorando in vniuersum viros excelsos, qui Patrocinium miserorum suscipientes, Patronique appellati genus dicendi Iudiciale nobilitauerunt.

XXXVI.

XXXVI.

Ergò tibi, Gaspar, fuerit Sanctissima pars hæc
Dicendi, vt præsens aliena pericula cures,
Et causas agites hominum, causasque Deorum,
Namque etiam se sæpè tibi commendat agendam
Religio, sæpè & dices prò Numine Diuum,
Proque fide, proque obsequio, prò legibus altis.

ADNOTATIO.

Hortatur Auctor Gasparem suum, vt amplectatur hoc henus dicendi, breuiterque illi proponit quædam capita ad illud pertinentia. Neque enim continetur in solis hominum causis: dilatatur etiam ad causas Diuinas. Huiusmodi autem sunt, quæ sunt Religionis, quæ sunt Diuini cultus, & obsequij: quæ fidei, quæ legum. Ex quo patet apud Christianos amplissimum esse campum exercendi homines in genere hoc: quandoquidem contrà vitia perorandum est, & prò Virtutibus: & quidem ità petente causæ merito; ità vrgente bono, & malo, vtroque grauissimo, cum vtrumque sit æternum. Bonum quidem, quatenus cęleste præmium promittit; malum verò supplicium, apud Inferos intentat.

XXXVII.

Quid melius vita in tota, quid pulcrius vsquam est
Munere, quod Sancti referat penetralia Iuris?
Quod cum Iustitia degit, quodque alma frequentat
Templa, quibus sacris colitur clementia votis?
Hoc etenim genere, hoc fiunt, quod Rhetoris arte
Iudicij formam, seù Iudiciale vocamus:
Tendit enim aduersis opponere crimina noxis,
Accusare malos mores, facinusque paratum
Pellere, & algentes incendere Iudicis iras;
Aut contrà sedare animos, auertere durum
Supplicium, obiectum crimen, culpasque nocentes
Diluere, aut placidis leuiora relinquere dictis.
Durus vtrinque labor, sed quem peruincere possis,
Si capita, & rerum formas, si pondera primum
Concipias, animosque agites, & partibus ipsis
Quas tibi describam præstes attentiùs aurem.

ADNOTATIO.

Laudatur Genus iudiciale. Ostenditur eius officium. Nonnulla tanguntur argumenta, quæ ab illo tractantur etiam in Templis. Vt hìc appareat à Religione Christiana præberi, tum copiosam, tum Sanctam materiem exercendi artem Rhetoricam, in ampliore theatro (quàm fuerit vetus forum) Templo videlicet, eaquè de causa in illud confluentes, vt Oratori faueant, illiusque dictis obtemperent. Deinde indicat (quæ suo loco diffusiùs explicabuntur) affectus, quos in hoc genere aut excitare, aut sedare debet Orator. Tandemque promittit, se artem ostensurum indicata exequendi.

XXXVIII.

Nil magis obscuris opponere lumina causis,
Aut lucere potest, quàm formas noscere certas
Ad quas præcipuo videatur tendere cursu
Proposita Oranti ratio. Namque vnica causæ
Constituenda prius summa est, & quæstio tantum,
Vnica, cui totus rerum deseruiat Ordo.
Quidnam est id? Nebulas tantas erroris iniqui
Conceptas, sensus dubios, & cæca librorum
Commenta, & veram numquam promentia messem,
Tam vario antiquas vexari interprete chartas,
Vt dubites cuinam faueas, cuiusque sequare
Consilium, interdum desperes tanta perosus,
Et causæ nescire genus, quid quæstio quæque
Postulet, inquè vnam summam non cuncta referre.

ADNOTATIO.

Monitum, non modò vtile, sed etiam necessarium continetur hoc numero XXXVIII. Monetur Orator, vt quæcunque sibi dicenda erunt ad vnum caput redigantur, quod infrà appellabit statum quæstionis. Nam sine hac vnitate, vix posset Orator verba facere, præsertim apud populum, cuius ingenium nequaquam acutum esse solet: & prætereà cum scriptis non tradantur causæ Oratoriæ (vt possint legi, & relegi adeòque considerari) sed pronuncientur; nisi multitudo rerum dicendarum ad vnam redigantur, neque attentus erit po-

pulus (si iudex esse debet) neque etiam attentus percipiet, aut memoriæ infiget quæ audiet. Quod idem facilè contingere posset, etiamsi vnus esset Iudex: vtcunque enim fingatur & perspicax, & intentus, nihilominus adiuuandus est, vt ille quàm facillimè percipiat id, in quo vertitur cardo totius causæ.

XXXIX.

Vnam nos igitur formam statuamus agendis,
Vnum quærendi fundamentum, vnde opus vnum
Procedat, cunctosque sibi compaginet artus.
Hic STATVS est. Olim hac vsi sunt voce priores;
Sistit enim, causamque tenet molimine certo.

ADNOTATIO.

EXplicat quid sit vna illa forma, quæ statuenda sit Orationi toti; decernitque esse STATVM quæstionis. De statibus multa, & quidem subtilia traduntur à Magistris dicendi, quæ Patrono, & causidico puto esse necessaria: adolescentis verò nunc temporis censeo captum excedere. Proinde multis omissis, ero contentus quædam facillima hic offerre. Tres sunt quæstiones (sic appellatæ, quòd aliquid quæratur, vt sciatur, & definiri possunt, propositiones dubitabiles, hoc est, quæ in vtramque partem tractari possunt, affirmatiuam & negatiuam) An sit, Quid sit, & Quale sit. Per quæstionem *An sit*, dubitatur, adeòque quæritur: An res aliqua sit in rerum natura: V. gr. An sint Antipodes? Per quæstionem *quid* dubitatur, adeòque quęritur cuius naturæ sint Antipodes? Per quæstionem *Quale sit*, dubitatur, adeòque quæritur quas proprietates habeant Antipodes? Hæ quæstiones, dicuntur Status, quandò ad suadendum proponuntur. E. gr. Si proponatur an sit nauigandum ad Antipodas, potest inquiri primò *An sint* veræ regiones, an fabulosæ, adeòque *an sint* in rerum natura. Quo deciso, datoque, & probato illos esse; secundò potest inquiri *quid sint*, cuius naturæ? Et hoc pariter determinato, probatoque esse partem terrę ad Polum Antarticum pertinentis; tertio inuestigari potest *quales sint*, quas proprietates habeant; sint ne feraces, an steriles: sint ne habitabiles, an inhabitabiles? &c. Proposita igitur aliqua ex his quæstionibus, prima conflictio Oratorum diuersa sentientium, & defendentium dicitur Status, siue constitutio causæ. E. gr. Quæsitum fuit (hoc est

est dubitatum) An Milo occiderit Clodium? Quidam dicebant: Non occidit: Alij occidit? Hæc est prima Actoris, & Defensoris, & quidem præcipua,pugna; siue conflictio: Defensores enim asserebant, à Milone non fuisse occisum Clodium: Actores fuisse occisum. Et proinde Tullius nomine status intellexit Actum ipsum insistendi (standi, immorandi) siue vocem vtriusque partis, Fecit, non fecit. Vnde iam probandum est, Actori quidem Fecit; Defensori vero non Fecit. Formato deinde statu, sequitur Iudicatio, quæ in hoc consistit; vt Defensor addat rationem depulsionis (siue negationis) suæ: Depulsio enim sine ratione nihil valet. Propterea qui negabant à Milone occisum fuisse Clodium, debuerunt afferre rationem huius dicti. Actor verò refutationem rationis; quæ refutatio appellatur firmamentum. Ex depulsione verò, & firmamento, nascitur iudicatio, siue disceptatio, & quęstio, quæ in iudicium venit. Hæc autem sufficiat hic dixisse prò aliquali statuum cognitione; hoc vnum monendo, in omnibus generibus causarum (vt docet Cicero) reperiri Status; quià in omnibus vtraque pars tractari potest, cum Orator versetur in probabilibus, non autem in certis, saltem in opinione, siue etiam errore populari. In deliberatiuo, & iudiciali, nemo dubitat reperiri status, cum sint aduersarij. In Demonstratiuo non ità manifestus apparet, sed tamen est: Frustrà enim haberetur Oratio, si auditores idem atque nos sentirent. Apud Oratores Forenses vtique erat contradictio etiam cum laudaretur vir cęteroqui insignis; vt apparuit, quandò laudandus fuit Pompeius, & quandò Tullius. Apud Sacros nostræ tempestatis Sanctorum commendatores, licet eorum virtus nota sit, non est tamen nota eius quantitas, & magnitudo; imò sępè ignota est qualitas: multi enim nesciunt qualis ille fuerit, adeòque ab Oratore id ostenditur. Determinato autem statu, qui vnus esse debet in vna Oratione, emergit propositio, ad quam referenda sunt alia, quæ deinde sunt dicenda.

X L.

Quem triplici indugredi visu, atque insistere planta,
Qua vocat, atque viam demonstrat quæstio; namque
Quærendi triplex ratio, constatque petitum
Vndique, & à nulla restat dubitabile parte,
Cum triplex exhausta mihi sit quæstio. Prima est
An, sit quod petimus, fuerit ne, aut certa futuri

Pignora præstiterit? Nam si in non certa vagetur
Mens hominum, nulla est dicendi, nulla petendi
Spes: frustrà impendas studium, frustràque laborem;
Nam tandem inuentis verbis, atque vndique partis
Nulla subest rerum series, & notio nulla.
Frigidus ergò labor fuerat, dignusque cachinno
Cuiusdam, qui dum Logicam finxisse Chimæram
Optaret, totum consumpsit perditus æuum
Intentus Nibilo. Primum ergò quæritur, An sit?
Hic status est, qui prima petit momenta, modosque
Conijcit, hinc nomen deduxerat, hincque tuetur.

ADNOTATIO.

QVæ numero superiore explicaui, lucem præbent illis, quę hic dicuntur de prima quæstione An sit? Docet Arias, videndum esse ab Oratore an id, quod est venturum in iudicium sit; alioqui ridicula instituetur Oratio, si deprehendatur occupari circà Nihilum. Peccant contrà hoc Monitum illi, qui calumniando falsa affingunt alicui crimina: & propterea cum multa dixerint, tandem apparet nihil dixisse; de nihilo enim, & de Chimęra dixerunt. Quod etiam illis contingit, qui de nugatorijs rebus verba faciunt. Quamquam enim aliquam speciem Veritatis habeant; nihilominus cum falsæ sint, non præbent materiam Oratori ad dicendum cum approbatione Sapientum. Ad quæstionem An sit reducitur, an res fuerit, an futura sit?

XLI.

Alter, & hinc varius status est, cum viribus aquis
Describit, cum præsenti dat nomina causæ
Orator, proprio distinguens limite fines.
Occisæ conuictus erat Genitricis Orestes;
Quæritur, an facinus dicas, & an impius ille
Iura Patrum excidio Matris violanda putarit?
Anne hominis tantum occisi reus? ille notandus?
Ille etiam, qui totam Asiam temerarius audet
Ignibus admotis, Ephesinaque lędere templa
Crimen habet; dubium sed erit, quo nomine culpam
Appelles: An sacrilegum? Anne incendia tantum
Prementem dicas? Petit hunc sibi quæstio QVID sit.

De-

Definitius est nomen, nam fine petendum est
Atque notis rerum, quod factis indere nomen
Et quam naturam causis adscribere possis.

ADNOTATIO.

DEscribitur Altera quæstio, quæ de facto aliquo institui potest, & suprà ostendi spectare ad naturam rei, diciturque Quæstio quid sit. Duobus exemplis hanc doctrinam elucidant Auctor noster, vt legenti facilè, siue vllis notis, potest patere.

XLII.

Constiterit forsan factum, Naturaque facti,
Sed dubium est, an iusta, nimisnè iniusta patranti
Mens fuerit? Venia dignumnè, an vindice pena?
Hæc rota voluenda est dicenti, hæc vltima moles
Tentanda est. Nam sæpè solet rem fassus vtramque
Huic vni neruos intendere, seque periclis
Eruere: & non facta negat, sed iura profatur.
Indicat obmissum officium, iustumque dolorem
Intentata sibi immeritò discrimina vitæ.
Hic status, & facti series comprehenditur, ex quo
Quæsitum est QVALIS sit res, quid inutile portet,
Vtile quid, quale exemplum quæ prima sequatur?

ADNOTATIO.

ECce tertiam quæstionem, in qua (vt suprà dixi) quæritur qualis sit res. Cicero in defendendo Milone noluit negare factum (quod spectabat ad quæstionem An sit) neque negauit occisum fuisse Ciuem (quod spectabat ad quæstionem Quid sit) sed vsus quæstione Qualis sit, ostendendum assumpsit, Iustum fuisse homicidium; quià licitum erat, apud Romanos, priuato occidere Insidiatorem; qualis fuit Clodius.

XLIII.

Prima igitur numeranda patet mihi causa duobus
Articulis, nec plura mouet coniector anhelus,
Dum prudens sequitur dubij vestigia facti.

ADNOTATIO.

TRes, quos numerauit noster Auctor status, iam incipit explanare, vt ostendat, quæ via sit Oratori premenda in singulorum tractatione. Status, quem primo loco posuit, ad quæstionem *An sit* pertinere diximus. Quoties igitur Orator in hoc statu versatur, Quid est illi faciendum? Si velit ostendere factum, de quo dubitatur *An fuerit*, coniecturis debet vti, ex quarum vsu hic status appellatur coniecturalis: quià per coniecturas probamus factum esse id, quod sine coniecturis non liquebat. Apud Ciceronem in Miloniana non liquebat, An Clodius posuerit insidias Miloni? Cicero per coniecturas conatus fuit ostendere à Clodio positas fuisse has insidias Miloni.

XLIV.

Primùm animi impulsus tentat: quid sęua libido,
Quid metus, Ira nocens, Quid Spes, Aut qnid Dolor ingens
Suaserit. His etenim quondam concussa procellis
Præcipiti fertur cursu, ruit omnia latè
Mens hominum; atque hinc prima capit momenta patrandi,
Siue petat, captetque bonum, vel inutile vitet.
Nec dispar ratio est: stimulo perculsus eodem
Æstuat, vt similes animus persentiat æstus,
Dum cupit, aut metuit; dumque iras concipit, aut dum
Feruet amore graui, gaudetuè, doletuè: feroci
Quadrupedi assimilis, qui dum per libera campi
Æquora, non equitem dorso, non ore lupata
Sentit, vesano præteruolat aera cursu;
Tamque agitur Boream versum, septemque triones,
Siue ortus spectet Solis, Zephirumuè, Notumuè,
Quàm si transuerso cursu fallentia semper,
Atque obliqua nimis ponat vestigia, demens
Circum agitur, demens decurrit tramite recto.

ADNOTATIO.

PRimum hic fontem apetit Arias, ex quo Orator conijcere potest, an aliquid sit perpetratum, nec ne. Inuestiget, quo animo sit, benè nè, an malè affectus ille, cuius factum inquiritur. Si enim prauis motibus agitetur. si cupiditatibus rapiatur

tur effrenibus, quarum causa similis equo possit videri nullos frenos patienti, facilè deducetur, in scelus incidisse, de quo est quæstio. Quod si animo bono fuerit, facilè quoque inferetur absuisse ab eodem scelere. Hanc artem secutus est Marcus Tullius: Namque Clodij animo prorsus iniquo diligenter in medium prolato, conclusit, ab illo positas fuisse insidias Miloni. Milonisque item animo contrarijs moribus imbuto, Iudicibusque repręsentato, auueruncauit à suo cliente suspicionem insidiarum Clodio positarum. Locus à coniecturis amplissimus est, atque ab Oratore tum ingenioso, tum sibi attento etiam amplior efficitur. Valetque mirificè etiam in genere dicendi demonstratiuo: præsertim cum facta viri laudandi pauca sunt; per coniecturas enim mirificè potest commendari. Quod inter cęteros pręstitit Pater Paulus Segnerus in Oratione Panegyrica, quam scripsit de Præcursore Christi Ioanne Baptista.

X L V.

Nec satis esse potest solum coniecta Voluntas:
Quarè, & agentis opes, & vires discute cunctas;
Quid possit, quid non possit, quid tela, quid arma
Præstiterint: quid diuitiæ, quid præstet amicis
Auxilium. Loca cuncta nota: nec temporis horas
Negligito: Hæc numeranda sibi, & repetenda docemus,
Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodò, Quando.

A D N O T A T I O.

VT veniamus in cognitionem facti, alius fons nos adiuuabit; considerando facultatem illius, cuius factum inquirimus. Quo monito docemur, vt consideremus, an Vires habuerit patrandi facinoris reus, qui illius insimulatur. Deinde omnia percurrantur adiuncta, vt ex illis eruatur, an fieri, aut potuerit, aut non potuerit id, de quo est quæstio. Hæc autem adiuncta versiculo omnibus noto continentur; *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Cicero ostendit Clodio fuisse omnem facultatem occidendi Milonis, nullam verò Miloni.

X L V I.

Sæpè fidem inuertit, fregitquè ostensa facultas:
Signa petas, numeresque nodos, & pondera cuncta

Obserues: nam quæ cumulum fecere minorem,
Singula iuncta simul maiorem crescere molem
Iussere, & vires paulatim acquirere magnas.
Hoc mentis solertis opus disquirere signa,
Et deprehensa simul iustis expendere libris.
Nam testes, nam Verba hominis sua gesta professi,
Et tabulæ, extortum dictum, verùmque coactum,
Cęteraquę à simili ducta argumenta periclo
Adduxisse sat est: Ipsa hæc si ostendere possunt;
Arte carent; non hæc Rhetor sua munera dicet,
Ast alijs accepta refert, seù testibus ipsis,
Siue Reo, siue Actori, seu denique vulgo.
Plurima præcipiunt legum, iurisque periti
De signis, quæ visa prius præcedere factum,
Quæque simul, comitemque operam, auxiliumque tulere,
Et quæ mox opus exhaustum, factumque secuta
Contulit orator leges, legúmque Magistros;
Hinc bona dicendi pars, hinc prudentia rerum,
Hinc petitur multis, iustique, ęquique figura.

ADNOTATIO.

Finem imponit doctrinæ spectantis ad facti occulti, siue dubij, indagationem Arias, docendo per signa posse deprehendi factum cæteroqui occultum. Catalogum apponit eorumdem signorum: qui cum sit satis clarus, non indiget maiori mei calami luce.

XLVII.

Quod si non vllis potuere latentiùs vmbris
Facta hominum abscondi, tandem depressa patescunt,
Tunc petitur nomen causæ, atque examine multo
Quas subeat legum species, quę iura repôscat
Discutitur: Multum refert quo nomine, quęque
Facta voces; Num sacrilegus, Num fur tibi fiat
Qui pateras Diuum sacras, atque aurea vasa
Artificis rapuisse fuit conuictus ab arca;
Aut non rapta neget, sed furti auertere nomen
Conetur; nam dum Patrię, dum consulit Vrbi,
Dúmque parat magnis deuincere sumptibus hostes
Commodiora capit, nec mens intenta nocendo est.

ADNOTATIO.

Fit transitus ad aliam quæstionem, quæ appellatur quæstio *Quid sit.* Potest constare factum: simulque latere cuius sit speciei, adeòque quo sit nomine appellandum. Furtum E. gr. aliquis fatebitur: at superest quærendum, an sit sacrilegium ab illo commissum, nec ne? In quo exemplo videt meus lector nasci dubium circa naturam rei allatæ; adeòque potest inuestigari, an sit simplex furtum, an verò furtum circa rem sacram commissum. Si enim sit ablata Sacra res, tunc erit sacrilegium, pœna dignum grauiore, quàm furtum rei prophanæ.

XLVIII.

Non cuiuis facile est componere nomina rebus
Vt cupiat. Voluisse prius molimina oportet
Multa, quibusuè leuet factum, vel deprimat, atque
Conceptas animis species, & pondera causæ
Inuertat, minuatque, aliamque referre figuram
Iudicis antè oculos cogat diuersa putantis.

ADNOTATIO.

Indicatur in hoc numero XLVIII. difficultas imponendi nominis cuilibet facto, adeòut vi noui nominis, mutetur opinio in mente Iudicis. Vt propterea si aliquem putauisset reum Parricidij, iam audito Patrono qui ostendat non esse commissum parricidium, sed homicidium, de pœna leuiore cogitet. Id præstare opus est Oratoris, tum ingeniosi, tum docti. Status autem quæstionis, quæ sic agitatur, apud Rhetores appellatur Status Definitionis: quià deprehensum, & confessum factum Oratores inter se litigant quomodo sit definiendum. Cum autem definitio sit Oratio explicans rei naturam (quam Dialectici appellant Quidditatem) satis apparet quæstioni *quid sit res* correspondere statum definitionis. Vsus est maximus definitionis in arte Oratoria: res enim alio modo definita aliam speciem suscipit, aliam alio. Quidam enim si appelletur facetus non est vituperandus; si scurra non item. Si iustus, laudabitur; at si crudelis, damnabitur. Non est autem ità facile definire factum, & proprio nomine illius naturam explicante appellare; quià virtus, & vitium sunt muro integerrimo iuncta

(vt

(vt ait adagium) hoc est; facile est virtutem vitio, & virtuti vitium assimilari. Certè vespa, & apis in multis conueniunt. Distinguere igitur vero iudicio facta, & ea proprie definire, propriéque vocare, officium est boni, ingeniosi, doctique Oratoris.

XLIX.

Fit tandem leuior, nonnumquam infamia facti,
Aut grauior (namque eiusdem sunt munera vtrinque
Artificis) iisdemque locis depromitur apta
Materies, eadem mouet instrumenta sciens, dum
Diruit, ædificatque: nec ars secus vlla reperta est.

ADNOTATIO.

Continent versus paulò ante allati velut exordium eorum, quæ dicenda sunt de tertio statu spectante ad quæstionem *Quale sit factum*, vocaturque status QVALITATIS. Cognitio huius status valet, tum ad eleuandum (siue minuendum) tum ad augendum (siue grauandum) aliquod facinus. Vt enim optimè monet auctor noster, eadem ars fauet vtriqne parti. Namque (vt sæpè diximus) ars Rhetorica versatur circà vtramque partem contradictionis, affirmantem nimirum, & negantem. Ratio est, quia quæ tractantur ab Oratore non sunt aut euidenter vera, & bona, aut euidenter falsa & mala, sed probabilia (hoc est præseferentia, tum veritatem, tum falsitatem: idemque dicas de bonitate, & malitia) eaque de causa præbere possunt materiem diuersis Oratoribus, diuersè opinantibus.

L.

Disce igitur rerum fines describere: Primùm
Exactas species, generisque expendito formas;
Officia inquiras rerum, & quæ semper adhærent.
Hinc propriora dabis rerum discrimina: namque
Prima olim visus rem constituentia nostra
Effugere: genus patuit, tamen horrida nox iam
Occuluit veras formas, ac furta Promethei
Inuidit sacras conata extinguere flammas,
Exigua illius tantum momenta caloris

Sed

Sed nimium tractanda animis, nimiumque fouenda
Continuit natura hominum, dum plurima cautus
Colligit officia, atque vsus, monimentaque rerum
Obseruat, motusque, & contingentia cuncta.

ADNOTATIO.

ARias, versibus, quos comprehendit superior numerus L. insinuat doctrinam subtilem de qualitatis natura necessariam Oratori, si velit vtiliter loqui, cum se exhibebit status Qualitatis. Ne autem philosophica phrasi contrà decorum poeticum se se explicet, modis dicendi metaphoricis vtitur. Huiusmodi sunt, qui petuntur à *furtis Promethei:* & qui exprimuntur per *horridam noctem:* & per *exigua illius tantum momenta caloris.* Sententia sine metaphoris est hæc. Cum sit res admodum difficilis veras qualitates rerum cognoscere: Oratoris munus non est eas inquirere in Statu qualitatis, ea diligentia, seueritate, & subtilitate, qua Dialecticus; sed contentus sit via latiore, & propria eorum qui verba faciunt ad populum. Qualitates igitur considerandæ in aliquo facto ab Oratore sunt consequentia naturam accidentia, & proprietates: Vnde etiam & consecutio dicitur, status iuridicialis, & rationis: diceres fortasse statum, qui beneficio rationis considerat, an factum sit iustum, vel iniustum: factum, inquam, illud, quod in quæstione *An sit* repertum est euenisse: & in quæstione *Quid sit* cognitum est cuius naturæ sit; adeòque quomodò definiendum fuerit, & quo nomine appellandum.

L I.

Hinc capit Orator formas operumque colores,
Depingit res, hinc describit imagine cunctas.
Tunc grauiora potes, leuioraque nomina factis
Indere, cum fines aptè descripseris ipsos.

ADNOTATIO.

DOcet Arias munus Oratoris esse ad capita indicata recurrere, accidentium videlicet consequentiam naturam facti, eiusque proprietatum; & aliarum circumstantiarum, & adiunctorum, quæ solent obseruari à popularibus ingenijs. Quod cum sit, dicitur ea parte qualitatis vti, quæ absoluta appella-

pellatur; hoc est, quæ nulla extrinsecus petita ratione, absolutè pronunciat aliquid iure factum fuisse. Exemplum congruè potest esse: Ludimagister fatetur clericum verberasse, neque tamen excommunicationem incidisse. Quare? Quià hæc verberatio iusta fuit. Et quare iusta? Quià Magistro licet ad correctionem verberare etiam Clericum. Obseruatis igitur his, quæ naturam facti consequuntur accidentibus, proprietatibus, circumstantijs, & adiunctis, potest Orator ostendere aliquod factum (quod ab Aduersario improbetur) esse probandum, & ab aduersario probatum improbandum; illud vt iustum, hoc vt iniustum.

L I I.

Sin minus obtineas; aduersas consule leges;
Quæ certare sibi, quæ non constare videntur,
Arripias prodesse tibi, quas credis agenti,
Hasque probes toto, & firmes conamine. Iura
Ostendas quæ sit ratio, quæ causa ferendi;
Iamque alijs alias præfer, sacrasque prophanis
Anteferes, vt quaque sui maiora tenebit
Principia, aut fines, Assertor pone, probaque.

A D N O T A T I O.

AD Statum qualitatis pertinent leges. In earum vsu, ità se gerat Orator (quandò caput suprà explicatum illi non prodest) vt quasdam eligat, quasdam relinquat. Eligat sibi fauentes: relinquat nocentes. Quæ dubiæ sunt interpretetur pro se. Perpendat fines legum, vt inde eliciat, mentem legislatoris pro suo facto stare, licet verba videantur obstare. Si lex prophana sibi aduersetur, sacram conetur ad se trahere. Quod fieri à Cicerone etiam in causa Milonis, vbi legem Pompeij contrà homicidas in rem suam interpretatur, sine vllo labore intelliget, qui illius Orationem percurret.

L I I I.

Maxima diuinis cedat reuerentia chartis;
Nam Deus, humanumque genus miseratus, & alta
Vulnera tartareos nobis inflicta per hostes
(Vnde tot erroris nebulæ mortalibus ægris

Ex-

Exortæ) intonuit Sineis in montibus, atque
Dum populis fulgur trepidis, dum flamma coruscans
Buccinaque ex alto discindens aera Olympo
Dant signum venisse Deum, pauidumque timorem
Pectoribus populi incutiunt, vox clara Tonantis
Humanas aures tentat; diuinaque vulgus
Verba omnes capiunt toto resonantia Cœlo.
Tuncque iter angustum virtutis, & ardua pulcri,
Atque æqui, iustique homines elementa docentur,
Mox digitis insculpta Dei, renouataque rursus
Saxa legunt, primas penitus referentia voces.
Paulatim leges cunctas, formasque decori
Accipiunt; monitusque Dei iam pleniùs audit
Turba pauens, donec iam iusta volumina, iamque
Excipit exactas leges, diuinaque Verba. Hæc
Consule, Dicenti magna adiumenta futura.
Non tantum Sol ipse iubar, non tantaque terris,
Hibernas postquam luces, tenebrasque fugauit,
Lumina dat, Victorque redit, faciesque videtur
Congeminare suas orbi, totusque fouetur
Mundus, opesque nouas, & semina concipit alma,
Et varios fructus, pulcra & spectacula syluæ
Edunt, diuitiasque suas natura ministrat;
Quantum dant lucis, diuinaque verba caloris
Mentibus humanis præstant, tristesque tenebras
Excutiunt animis, multum & torpentia tentant
Pectora, præstantes vires virtutis, & ampla
Ornamenta parant, alia & procedere vita
Et diuina palam momenta ostendere, cogunt;
Siue docere velis socios, seù carpere mores,
Et peccata hominum, seu quidquid denique cures.

ADNOTATIO.

Dignitatem, & auctoritatem Diuinorum librorum Arias illorum intelligentissimus, arrepta occasione prosequitur: hortaturque Oratores (etiam ciuiles, multò magis ecclesiasticos) vt illos adhibeat.

LIV.

Sunt etiam leges aliæ pietate colendæ,
Iura, Magistratusque omnes, & quidquid ab æquo

Ducitur, & pacem, & communia commoda adornant.
Hæc, vt quæque locum fuerint sortita priorem,
Sic primum venerare pius, sic consule. Primum
Pontificum monitus sacros, decretaque Sancta,
Diuinis quæ sunt manantia, & eruta verbis,
Atque agitata viris doctis, famaque verendis;
Hæc nos humanis alijs præponimus, hisque
Parendum est, nec fas quemquam contendere contrà.
Proxima sunt priscæ leges, & publica iura
Imperij, & legum tabulæ, quas nulla Tyrannis
Infamet, quas nulla ferat violentia, quasque
Indignum ratione boni nil constet habere.

ADNOTATIO.

POstquam Diuinas chartas laudauit, & Dei leges; laudat etiam Decreta Pontificum: deinde etiam leges humanas, quæ iustæ sint. Certè, tum Ius Pontificium, tum Ius Cæsareum sunt omnis honestatis, & æquitatis thesauri. Vellem lectori meo esset gratus Antonius Faber, qui Rationalia scripsit in Codicem.

L V.

Succedunt priuata hominum iam dicta Tabellæ,
Testamenta simul, & quæ sententia sedit
Mandanti, seù leganti, quandò vltima dixit
Verba, vel impleuit ceras, aut annuit vltrò
Non sine teste aliquid. Non pauca negotia sunt hinc:
Magna hinc dicendo pugna, aut ingentia oborta
Prælia nonnumquam fuerint, dum plurima legum
Congeries, quarum videas contraria sensa,
Atque alijs alias certare, & sistere contrà.
Quid facias? Aut quo studio componere lites
Inter tam multa hæc legum discrimina possis?
Aut saltem si non possis sedare rebelles,
Inque vnum oppositas trahere, & producere sensum.
Cuinam te addicas parti? Cuiusque sequare
Signa? Passusnè fugam, desperatusque salutis
Deficias? Nec te ingenium, nec sistere mentis
Robur, & ipsa queant repetita exempla priorum?
Difficile hoc multum est, dura & molimina multis

Osten-

Ostentat, terretque animos. Tamen excipe, Gaspar
Qua ratione queas peruincere, & omnia legum
Conciliare animo prudens discrimina.

ADNOTATIO.

ATtingit Arias grauitatem, & auctoritatem testamentorum: quæ iure naturæ debent esse rata, quoties sunt confecta legitimè. Simul etiam attingit difficultates, quæ sæpè insurgunt, efficiuntque, ne aut celerem, aut omnem sortiantur executionem. Qua de causa? Propter lites quæ insurgunt, & sæpè fundantur in legibus, aut varijs, aut variè explicatis. Profitetur, & pollicetur Auctor noster, se ostensurum, quam viam inire oporteat Gasparem suum, vt ex hoc labyrintho euadat feliciter.

LVI.

———————————— *Primum*
Hoc statuas: Si quæ leges, si iura vocentur,
Et tali quæcunque petant se nomine dici,
Immeritò tales titulos prætendere: Quamuis
Auctores iactentque suos, responsaque Regum,
Atque Ducum; Sapientis opus, vocesque Potentum.
Se dicant; quæcunque sui primordia dicant;
Si tamen à iusto discedunt, pondera recti
Abijciunt, rationis opesque, viamque relinquunt,
Si quid Personis tribuunt, priuataque tantum
Commoda, & affectus, priuataque sensa sequuntur,
Namque vna est recti facies, simplexque figura
Nescia mutari, flecti quoque nescia, cunctos
Conditione pari tractans, nec Regibus illa
Cedere, nec minimos didicit pessundare; namque
Sanctio virtutis simplex; hæc excipit omnes.
Quotquot Sanctà Deæ penetrare sacraria curant,
Ceruices flexisse decet, cui contigit altum
Corpus, & exiguos nullas attollere cristas,
Impinget pariter, pariterque offendet vterque.
Hęc iusti mensura patens, hæc Ianua recti est:
Nemo nocens fiat, nemoque iniurius, atque
Emeritis nemo fraudetur partibus; vltrà hoc
Quidquid erit, damnum, atque dolus, violentia, fraus est:

Non

Non viuit, corrupta iacet, tetrumque remittit
Fœtorem ratione carens Lex, ipsaque sese,
Indignamque coli damnat, sese abijcit ipsa.
Has igitur circà leges, quæ pondera iusti
Deseruere, nihil, Gaspar, tu solicitus sis.
Abijce quàm primum, & prorsus contemne loquendo,
Absurdi tantum species, & quidquid iniquum
Contineant dicto ostende: & propone videndum,
Explosu dignas conclama, atque auribus illis
Infensas, quas tu iustas, credis & æquas.
Vt facinus lex vna probet, quodque improbat omne
Iudicium, penitusque agitant, qui mente valere,
Qui ratione queunt, fieri quì posse putandum est?
Vt meritò virtutis opus lex fraudet honore,
Hoc vbi contingat, nisi cum iustum exulat ipsum?

ADNOTATIO.

OStensum hoc numero est, quid sit Oratori præstandum, quoties aduersarius afferat prò se leges manifestè iniquas. Facili negotio, exiguoque artificio reijciuntur; vt liquidò constat ex ipsius Ariæ versibus, in quibus amplificatio (penè Oratoria) continetur contra huiusmodi pessimas leges.

LVII.

Sunt tamen interdum legum discrimina parua,
Quas facili sedare manu sibi constet, & ipsa
Conciliant sese certi munimine pacti,
Nec verum, atque decens tamen vlla ex parte relinquunt.
Vt, Nocuos lex vna iubet punire, minatur
Supplicium quicunque hominem confecit, & alma
Priuauit vita, tenebrasque subire coegit.
Altera non nocuis parcit, nec crimina curat
Libera grassari impune, sed crimine purgat
Illum, qui patriæ propter, propriamque salutem,
Dum sibi, dum socijsque necem, certumque periclum
Sentit adesse, suos fortis, seque eximit, atque
Fortunam tentare parat; non altera vitæ
Spes patet, atque fugæ, nisi quam sibi fecerit ense.
Haud pęna leuiore tamen lex altera sontem
Afficit, vt tempus, ratioque, vt postulat ætas.

Iudicio ſi quis valeat, ſi lumina mentis
Non extincta tenet, potis eſt componere tales
Inter ſe legum labes; lucemque videre
Quam præfert quæcunque ſibi, ſi tempora ſeruet,
Si factique modos, vireſque, humanaque cuncta,
Quæcunque & variare ſolent res, ſenſaque rerum,
Obſcurumque, quod vna tulit lex, altera pandit,
Vltrices aliæ nimium, nimiumque ſeueræ.
Æquior aſt alia eſt lex viſa, & mitior eſſe.
Vna omnes ratio eſt, rationem agnoſcimus vnam,
Iuſtitiæque Ducem eximiam, legumque parentem.

ADNOTATIO.

TRaditur hoc numero LVII. ratio conciliandi inter ſe leges, quandò videntur inter ſe pugnare. Traditur etiam ratio illas explicandi, efficiendique ne clienti, quem Orator ſuſcipit defendendum, noceant. Quintilianus, & Seneca in Declamationibus ſuis habent exempla harum legum conciliandarum: multaſque Tullius (quoties ſe ſe illi offert occaſio) conciliat.

LVIII.

Sed Diuina tamen lex nonnulla indiget vnquam
Humanæ rationis ope: at ſola illa gubernat
Res hominum, Cœliſque agnoſcit libera Numen,
Et lucem tantam ſecum, tantumque referre
Fulgorem ſolet interdum, peſtringat vt omnes
Mortales oculos, & noſtræ lumina mentis
Tàm ſuperat, quàm diuinis humana minora
Eſſe ſolens: Nonnunquam autem ſe attemperat ipſa
Captibus humanis facilis, lumenque videndum,
Et ſpecies dat clara ſuas: non ratiùs altum
Euolat, & nubes tranſcendit, & æthera magnum,
Et caput, & diuam faciem trans ſidera condit.
Quò quicunque ſuæ ſiſus molimine mentis,
Vel ſolam tentare viam contendat, in altas
Præcipiti caſu tenebras miſer excidet, atque
Inſani Phaetontis aget miſerabile funus.
Dum quicquam lex ergò iubet Diuina, nefas eſt,
Si ratio humana id non approbet, hiſcere contrà,
Namque ſatis dixiſſe Deum fuit: Vlterius nil.

A D N O T A T I O.

POſtquam Auctor huius libri dixit, quæ faciebant ad vſum legum humanarum, tranſit ad legem diuinam, cuius encomium texit, illiuſque dignitatem patefacit, & reuerentiam, quæ illi debetur. Omnia, quæ hic afferuntur in illius commendationem adeò perſpicua mihi ſunt viſa, vt abſtinuerim à longiore eorum explanatione.

L I X.

Tu ſtudium, curamque adhibe, Numenque precare
Obſtruſos vt te ſenſus, obſcuraque verba,
Atque viam veri doceat: Solet eſſe benignus
Quærenti, facilisque Deus, ducitque ſequentes,
Illuſtratque animos, reſeratque arcana docendo.
Diſcipulos facit ipſe ſuos, qui mente valere,
Iudicioque ſolent tantum, tantumque diſertis
Vocibus erudiunt homines, populoſque pauentes,
Vt cedat ſtupefacta hominum Sapiemtia, ſeque
Miretur victam, atque Dei iam Numina noſcat.
Hoc iter ingreſſus, diuino hoc lumine doctus
Iam poteris monſtrare Dei reſponſa, magiſque
Obſcurum, hoc magis, hoc claro componere dicto,
Et conferre ſimul, populoſque docere probando.

A D N O T A T I O.

VT benè intelligatur lex Diuina, duo ſunt præſtanda: *Primò* vacandum eſt illius ſtudio. *Secundò* ad preces eſt confugiendum. Vtinam hæc monita vellent omnes amplecti, qui ad populum verba de ſacris rebus faciunt. Et quamquam noſter auctor hanc Rhetoricorum artem ad Ciuiles Oratores dirigat; nihilominus etiam Sacros erudire poteſt. Vellem autem ex huius lectione libri proficerent, & legem Diuinam amantes, illi percipiendæ vacarent, Deumque infimis precibus fatigarent, vt ſe in illa erudiret.

L X

L X.

Cætera non rarò ambiguum proponere sensum
Verba solent, legesque hominum, penitusque legentem
Incertum, dubiumque tenent, vt vtramque probare
Non possit dubij faciem; sed & alterius non
Audeat, inque pari timet inconstantia lance.
Iudicijs adsit sensus communis in illis
Et ratio, & vocum species, sermonis, & vsus,
Multaque dicta Virûm similem referentia sensum,
Quem tu concedas, legumque iuuantia verba.

A D N O T A T I O.

LEges humanæ (ad quas reuertitur Arias) sæpè versantur in ambiguo. Propterea Orator laborat in vsu illarum, & ad suam illas causam trasferendi. Tollitur ambiguitas, vel ex sensu communi: vel ex ratione: vel ex ponderatione vocum, quibus concepta fuit lex: vel ex vsu sermonis: vel ex commentarijs Doctorum, qui legem (de quo est controuersia) interpretati sunt.

L X I.

Artibus ex ipsis nonnumquam dispicitur vis,
Vt, quod in arte decens magis est, illud melius fit.
Multum etiam Logicæ partes his sæpè tulerunt
Auxilium: Si quis causas, finesque peritus
Excutiat, quid diuinet, quid suggerat ipse
Euentus: Sic ambiguum constare videmus.

A D N O T A T I O.

ALias vias ostendit Arias, per quas deprehendi potest vera alicuius legis, cæteroqui ambiguæ, sententia. *Prima est*, si Orator ostendat interpretationem suam cum Decoro consistere: aduersariorum autem eidem aduersari. *Secunda est*, si beneficio Logicæ (facultatis ratiocinatricis) venetur legitimum legis ambiguæ sensum. *Tertia est*, si causas examinet propter quas lex illa fuerit constituta, itemque fines. *Quarta est*, quid secuturum sit, si aut propria, aut contraria interpretatio admittatur, tamquam vera.

L X I I.

Est aliud Rationis opus, quod & indiget alto
Discursu mentis, tantum hunc Prudentia ducit.
Sæpè noua occurrunt referenda negotia nobis
Quorum non vlla est lex, & quæ nulla notarunt
Innumeris contenta libris ciuilia iura;
Nec, veterum aut exempla Virum, monumentaque nulla.
Hæc ego consultus propria in ditione locabo
(Nil etenim esse nouum credendum est, atque recens nil)
Vsque adeò vt veniens in nostram denique mentem
Protinus exclusum cedat, nec Iuris in vlla
Parte locum teneat, neque porrò conueniens sit
Legibus, & nullis affine, sed exulet: Ergo
Deque ipso nil iudicio statuatur in vllo.
Quin potius multa inueniet cognata, recens quod
Adueniet multa id Socium petet Actio, multæ
Adsciscent leges, permittent partibus, ijsdem
Iudicijsque frui, sedemque, locumque parabunt,
Si modò non desit Sapientia, si modò rectum
Consilium, cura, & si non industria cesset.

A D N O T A T I O.

QVid faciendum est Oratori si quædam illi occurrant tractanda negotia, de quibus nulla lex agat? Illa ipsa negotia beneficio rationis reducenda sunt ad aliquod illis simile, cuius habeatur lex. Quod patebit exemplo mox afferendo.

L X I I I.

Vt, si quis noctu spoliet, mediamque per vrbem
Non tutos sinat ire homines, aggressus vt hostis
Incautos, feriat meritos nil, nilque timentes.
Hoc facinus lex nulla notat; sed Iuris in ipso
Limite clauduntur leges, quibus esse propinqua
Pœna queat scelus audenti, & quæ pondera præstent
Et trutinas, quibus id facinus dignoscere possis.
Nocturnos etenim fures lex vna coercet,
Et damnat. Grassatores, sæuosque latrones,
Per quos non possit securus abire Viator

Ius

Ius aliud punit: Medium tenuere locum, qui
Porticibus medijs Vrbis, vel compita propter
Aggreſſi ſpoliant, clamantes vel pueros, vel
Imbelles, quoſcunque videbant, in-que-paratos.
Hanc veteres artem multum Rationis habentem, &
Iudicij, Rationis opus, manuſque vocabant.

A D N O T A T I O.

SCelus, nulla expreſſum lege, adeòque nulla ſpeciali lege damnatum, neque puniendum, poteſt puniri conſiderando duas alias leges. Quod clariſſimè demonſtrat auctor noſter. Hunc autem modum (qui ſpectat ad ſtatum qualitatis, per quem factum oſtenditur quale ſit) Rationalem appellari docet Arias, ſiue Ratiocinatiuum.

L X I V.

Eſt locus vnus adhuc, quo poſſis tutior eſſe,
Si petis hunc cautus, ſemel hunc ſi doctus adibis,
Ingreſſuſque ſemel contendas fortiùs, inde
Non facilè euelli, ſed prouidus oſtia ſerues,
Nec patiare aliquem tecum deſcendere, ſolus
Obtineas, nulli cedas, non teſtibus ipſis,
Iudicibus, Delatori, non temporis horis:
Omnia contendas diſpellere protinus abs te.
Vt meliùs quid agam cognoſcas, diſcito nomen.
Hic locus eſt patribus quondam TRANSLATIO dictus,
Expreſſam ſignante nota rem, & pondera facti.

A D N O T A T I O.

PRæparatur (vt patet) lector ad aliquam artis Oratoriæ, & quidem inſignem notitiam. Quæ deinde exponitur, diciturque eſſe TRANSLATIONEM; de qua ferè omnes Magiſtri benè dicendi. Quid porrò ſit Translatio (cuius inſtituitur hic ſermo) mox aperietur.

L X V.

Nam quoties aliena cupit tentare loquendo
Orator, nec rem tractat, nec iura, nec vllas

Criminis, aut causæ partes, sed transilit ipsum
Iudicium, & tensis laqueis elabitur, illuc
Tendit, vt obiecta effugiat discrimina prudens.
Vt si te Iudex compellat dicere causam,
Obijcias quicquam, quod causam, & tempora litis
Excipias: seù quòd tali non Iudice, seù quòd
Tempore non sacro fas sit te dicere, siue
Quod tibi legitimus non aduersarius adstat.
Ætatem vel proponas, vel tu ordinis, atque
Fortunæ seriem diuersam: Denique quiduis
Cautus agas potius quàm quod cogaris agendum.

A D N O T A T I O.

MEminerit Lector, me diuisisse Qualitatem (à qua denominatur status qualitatis) in Absolutam, & Assumptiuam. Translatio de qua hic loquitur Arias, spectat ad qualitatem Assumptiuam. Qualitas enim Assumptiua est, quæ ad factum probandum externis vtitur argumentis, & auxilijs; eo quod per se defensio sit infirma. Translatio igitur (de qua modò) criminis est, & fit, cum qui fatetur factum, dicit, aut coactum, aut lacessitum fuisse: Vno verbo in rem aliam transfert culpam. Accusetur E. gr. aliquis quod vocatus à Prætore non venerit; vtendo translatione, fatebitur se non venisse, non quidem contempto Prætore, sed à morbo præpeditum, à quo cogebatur decumbere. Videatur Quintilianus libro 3. cap. 6. propè finem.

L X V I.

Causidicis notus locus hic, & sæpè petitus;
Arte parant causæ vitare pericula: Nam dum
Iudicia, & lites cessant, causæque trahuntur,
Permutat fortuna vires, atque exitus omni
Tempore non vnus rebus contingit eisdem.
Interdum cessare solet, dum tædia vitat
Delator: Iudex nonnunquam vertitur, ipsa
Tempora (quæ abscondunt causas; & fœdera partes
Intereà feriere) solent fregisse catenas.
Compedibusque, rei elapsi, custode remoto,
Per tenebras, & per syluas, per quò inuia, gratam
Quærere præcipites, vultu fallente, salutem.

Longa

Longa dies, nihil est, quod non promittit, & illa
Non nihil exequitur promissorum.

ADNOTATIO.

Ostenditur vis loci à Translatione, adducta similitudine, quæ petitur à Causidicis. Hi quotiescunque sentiunt se laborare causa infirma, totis viribus enituntur, vt illius tractationem trahant in longum. Sperant enim beneficio Temporis se posse ex illis angustijs euadere, quibus premerentur, si inter illas causa sibi commendata ageretur. Hæc similitudo optimè nostri Magistri explicat mentem.

LXVII.

——— Ergò petitus
Vt causam dicas, transferto, atque excipe quantum
Ipse queas testes, Prætorem, & cætera; si non
Transtuleris, saltem quantopore tempora differ.

ADNOTATIO.

Hortatur Oratorem, vt quandò in mala causa versatur, ad Translationem confugiat. Quod fiet, excipiendo (hoc est suspectos reddendo, seù alia de causa recusando) aut testes, aut Prætorem, aut aliquem alium. Si nihil aliud potest, tempore vtatur, & procrastinet.

LXVIII.

Hæc mihi pauca quidem, atque breui compendia cursu
Sint peragrata, quibus facilè argumenta locorum
Venari in causas quascunque, & ducere possis
Nunc autem egressò hos fines patet exitus amplam
In syluam, densis plantis, multisque virentem
Arboribus: nec prata tibi, nec florida desunt
Pascua, non liquidi fontes, non flumina magnis
Gurgitibus, placido & labentes murmure riui.
Hic tu quid cupias, quid captes elige; nam sunt
Plurima, quæ occurrant passim, nec plenior vllus
Esse locus quocunque potest: Venatio multa

Se dabit antè oculos, adeò vt te forte morentur
Hæc loca sunt nostris COMMVNIA dicta Magistris.

ADNOTATIO.

Expeditis ijs, quæ breuiter docuit Arias, vt suus Orator cognoscere posset illa, quibus indiget in quibuscunque causis; dicunturque loca propria, iam gradum facit ad alia loca, quæ dicuntur Communia. Quæ aperiunt viam tractandi genus demonstratiuum sunt illius propria: Propria etiam, quæ idem præstant in genere deliberatiuo: & denique propria generis Iudicialis, quæ manuducunt, vt in illo benè procedatur. Præter hæc sunt loca omnibus causis communia; quæ amplissima, & copiosissima cum sint, vtique Oratori sunt cognoscenda, copiam eloquentiæ propriam (quæ est copiosè loquens Sapientia) amanti.

LXIX.

Dicenti immensum pelagus fuit omnibus, ingens
Materies, numquamque vllis exhausta loquendo.
Ingenijs campus numquam intentatus agenti.
Nam postquam in proprijs lustris sunt commoda rebus
Eruta præscriptis, tunc quid communis ad has res
Sylua ferat, quod coniungi, quod non alienum
Esse queat, penitus quærunt, atque inde petitas
Adijciunt, & opes rerum, iucundaque verba.
Vt si Socraticæ menti suadere ferendam
Esse cupis mortem, populus quam durus, & ipse
Discipulus tentat, corruptus & arbiter: hic tu
Non satis esse putes ostendere quæ modò soli
Apta viro huic fuerint: fugienda vt tædia vitæ
Tam longæ, aut Ciues tales, talesque ferendos
Discipulos: indigna viris hæc tempora Sanctis
Aspernenda: Dei consortia nempè petenda
Artificis mundi, & Cœli, quo cuncta tenentur;
Qui res humanas curat, qui præmia iustis
Seruat, in iniustos molitur fulmen, & iras
Concipit, ast differt; sed nil tamen effugit altum
Consilium, & certas leges, quibus omnia tractat.
Prò quo se vinclis vltrò dat, pròque tuenda
Religione; grauis pedibus non vincula ferri

Eni-

Extimuit; quarè timeat de carcere ſolui?
Non ſatis eſt, quod perſonam conducit ad ipſam
Dicere, ſed quædam communia ſæpè cientur:
Vt, quæ ſunt hominum hæc tam multis plena querelis,
Plena malis: vt tanta oculos inſcitia veri
Obtenebrat: Sed mors naturæ munus honeſtum eſt,
Quæ miſeram claudit vitam, finitque dolores,
Quæque animum ſoluit vinclis, & carcere lapſum
In ſuperùm ſedes, cognataque ſydera mittit;
Vt Diuinarum concepta obliuia rerum
Exuat, atque ſciat penitus, quod nouerat ante.
Iamque Sophis non eſſe nouum, nimiumque timendum
Velle mori, cum toto æuo conetur id vnum
Viuendo gratam meditari in corpore mortem.

ADNOTATIO.

VAſtiſſimum eſſe campum ex locis communibus, exemplo declarat Arias. Ponit Thema, in quo homini Socraticis Philoſophiam profeſſo (quem Diſcipulum vocat) ſit perſuadendum, vt libenter toleret mortem, indignis modis ſibi oblatam. Probat hoc Thema rationibns, quæ propriæ ſint illius Philoſophi: quæ ſunt quidem ſortes, ſed anguſtis contentæ cancellis; adeòque nequaquam ſatisfacturæ populo. Probat idem Thema rationibus petitis à loco communi *DE morte conſtanter ferenda*. Quis non videat vberiorem eſſe hanc ſecundam probationem? Igitur (inquit Arias) rationibus primis iunge ſecundas; fietque copioſiſſima, & iucunda Oratio. In quo timeo ne à pluribus magiſtris valdè peccetur. Timeo, ne ſpecie excitandi iuuenilis ingenij, proponendo propoſitiones ſua natura ſteriles, velint à ſuis auditoribus illas probari ingenioſè, non autem copioſè. Si copiam nolint ab illorum ætate, vix illam conſequentur in adultiore. Adeòque non erunt varij in figuris, nec iucundi in affectibus, nec in locutione ſplendidi. Definet eorum Oratio in caudam muris, non equi vt phraſi Ariſtotelica vtar.

LXX.

A proprijs igitur ſic te ad communia transfer
Interdum, quoniam vincendi multa patebunt
Argumenta locis communibus, atque decora.
Non modicam ſumes partem; tum longior vt ſit

Di-

Dicendi ratio, ſe ſeque extendat, & arctis
Reſpiret deducta locis: ſed & vtile multum
Hinc capiunt populi ſermones, atque theatrum
Plurima ſæpè capit rerum documenta ſuarum.
Namque obiter vel cura domus, ſanctæque docentur
Coniugij lex, atque fides, ſeruandaque magnæ
Fœdera amicitiæ. Iam de virtutibus altis
Fit ſermo; iam quæ curet prudentia mundum,
Atque regat. Populus de Religione loquentem
Audit, & in Superos animumque, & pectora flectet.
Denique ieiuna exiliſque Oratio, ſi non
Communi è ſylua quicquam affert: Reddere DOCTUM
In primis, GRATUMque poteſt hæc cura loquentem.
Illa etiam iucunda ſolet ratio altera noſtris
In verbis eſſe: exhilarans conuiuia dulci
Guſtu conuiuas, magno iuuat illa lepore,
Cum quis multa tenet ſapientum dicta, ſua quæ
Vel grauitate mouent, iucundo vel ſale mordent,
Vel veteri arrident ſonitu, ſtructu quoque præſtant,
Atque hæc ceù gemmas, ceù puro ſydera Cœlo
Collocat interdum, penituſque decentia figit.

ADNOTATIO.

EXplicatur hic vtilitas, & copia (contrà ſterilitatem, & inopiam, adeòque ieiunitatem) ſicuti etiam iucunditas coutrà mœſtitiam, Orationis: quæ omnia bona reſultant ex locis communibus. Verùm docendus eſt Lector, quid ſint hi loci, de quibus hic agitur. Propterea ſciendum eſt Ariſtotelem capite decimo quarto Topicorum conſulere ſtudioſo Philoſophiæ, vt habeat locos communes ſignatos de Bono, de Malo, de Deo, de Intelligentijs &c. ex quibus, velut ex fontibus, diſputationes irriget, ne videlicet ſint inamænæ, ſint horridæ, ſint ſiccæ, ſint odioſæ. Quaſi verò ille Magiſter voluerit liberare Diſputationes, cæteroqui ſubtiles, & ſtrigoſas, à propria illarum ſpinoſitate, reddereque illas, quantum fieri poteſt, amabiles, & populares. Porrò ſunt loci communes generalia quædam capita præbentia materiem ſermocinandi de rebus Diuinis, de rebus moralibus: vel etiam de Scientijs, & de negotiationibus, & de rebus humanis. Ad res diuinas ſpectant, quæ docemur de Prouidentia Dei: de illius Sapientia, Iuſtitia, Clementia: De præmijs, quibus afficit bonos; & de

ſup-

ſupplicijs, quibus damnat improbos. Ad res morales attinent; qnæ de virtutibus, de vitijs traduntur. Ad Scientias referuntur, earum dignitas, & vtilitas. Ad negotiationes pertinent Mercatura, Coniugia, Pax, Bellum, & ſimilia. Sicuti ad res humanas rediguntur vitæ calamitates, fortunæ, diuitiæ &c. De his agit Aphtonius in progymnaſmatis, velletque vt ijs occuparentur Adoleſcentes cum primò egrediuntur è Grammaticis; ſic enim aſſueſcerent amplæ Orationi, quì (millies repetam) exercenda eſt illorum ætas: Vt, quemadmodum corpore creſcunt, creſcant etiam ſermone. Neque vnquam patiatur Magiſter ab hac doctrina amoueri; vtcunque ſit auditurus (vtique ab imperitis) hanc eſſe Orationem verboſam; rebus autem illam eſſe locupletandam. Hæc enim quàm falsò iactentur, facilè apparere poteſt conſideranti.

LXXI.

Hanc partém è varijs auctoribus elige, at illam,
Quæ loca præſcribit communia poſcimus, omnia
Ex vſu doctrinarum, rerumque corona.
Nulla etenim res eſſe poteſt, ars nulla docetur,
Quæ mentem fugiatque viri, fallatque diſerti:
Cuncta videt, cuncta & diſcit, tentatque, rogatque
Omnia, qui famam cupit Oratoris, & optat.
At ſtudio aſſiduo præſtans, vigilique labore
Deſpicit hos ſaltem fines, quos QVÆ Que tuetur
ARS, & quam rerum partem ſibi vindicat illa.

ADNOTATIO.

Docemur fontes, ex quibus deriuantur Loci communes. Communes dixi, ad differentiam illorum, qui Topici dicuntur. Deriuantur autem ex omnibus libris, qui aut de ſcientijs, aut de alijs rebus ſcripſerunt. Ex qnibus Encyclopędia (vt eam vocat Cicero) aut (vt nunc loquimur) Eruditio, hoc eſt rerum omnium cognitio) reſultat. Hæc oſtendit hominem non modò eſſe ingenioſum, ſed etiam libris volutandis deditum; vno verbo Studioſum. Oſtendit deinde Arias hanc rerum varietatem maximi eſſe ab Oratore faciendam. Qua occaſione animaduertere nos iubet, non debere contentos eſſe illarum cognitione rerum, quæ à ſola arte Rhetorica oſtenduntur. Ratio eſt: cum paucæ admodum ſint, non eſſet Oratio locu-

locuples, neque varia, neque admirabilis. Non secus ac locuples non diceretur illa vestis, quæ auro, gemmis, alijs ornamentis careret vesti adiunctis; non autem cum veste, eiusque tela cognatis. In quam rem memini Patrem Curtium Sestium Societatis Iesu, virum valde doctum, & prudentem, de quodam Sacro Oratore (benè cęteroqui dicente, sed destituto ijs, quæ hic commendantur) pronunciauisse: *Vellem aliquid Bibliothecarum oleret, & saperet eius sermo.*

LXXII.

Ast ego iudicium eximium hic impensius optem
Ingentem censendi vsumque, locosque legendi
Quisquis erit, qui dicendo communia transfert
Præsentem in rerum structuram; qui noua miscet
Cum veteri iam argumento, & sæpiùs acto.
Namque, vt iucundum interdum miscere recenti
Cum causa commune genus, sic sæpè molestum est,
Sæpiùs, & stomachum mouet, & fastidia gignit,
Ni ratio multum, atque diù perpendat ab omni
Communi sylua, quid nunc producere, quid non
Tentari deceat; quibus illud dicere opus sit
Vocibus, vt saltem sit dispar forma loquendi,
Et placido deducta modo demulceat aures.
Multa mihi occurrunt in sylua, paucaque prudens
Eligo: multa adeò præteruolo, multaque linquo,
Ne cumulata graui multarum pondere rerum
Protinus impediant animum dicentis, & ipse
Fasce miser nimio procumbat, & excussurus
Omnes, mole sua contundat, & impete lædat.

ADNOTATIO.

VTile est, & iucundum ad locos communes diuertere. Verùm opus est iudicio, ne Oratio fiat spinosa, & aspera: & proindè minus fluida, minusque numerosa. In quod facilè vitium trahunt res extrinsecus petitæ. Opus est etiam sobrietate; ne ab illorum copia oneretur potius, quàm ornetur Oratio. Hac ætate Oratores, præsertim sacri, contrà hoc monitum peccant. Toti sunt in rebus (extrinsecus, & non ab argumento ductis) congerendis. Ex quo fit, vt Auditor illis grauatus, neque retineat hæc extrinseca propter eorum nimietatem,

tem, quorum meminisse, dimissa concione, non potest; neque item in animo figat præcipuam Orationis sententiam, cuius causa conquirebantur alia. Nonnulli sunt intolerabiles in confarciendis Sanctorum Patrum dictis: quæ cum idiomate alieno à vulgari efferantur, ab Auditoribus non intelliguntur: adeòque nulla est illorum vtilitas; cum tamen ad illam, tamquam ad caput, respicere Sacrum Oratorem oporteat. Alij, vt spissam, densamque reddant Orationem, breuissimè indicant multa, aut ex historijs, aut ex thesauro scientiarum. At, hoc ipso quod indicantur, non autem explicantur, percipi à populo nequeunt. Benè igitur monemur opus esse iudicio (addidi ego sobrietate, qua nos ipsos temperemus, pruritumque sedemus omnia, quæ scimus coaceruandi) in transferendis ad causam (hoc est ad indiuiduum sermonem) illis, quæ à locorum communium sylua exhibentur. De hac sobrietate dixi multa in meo libro, quem italicè scriptum inscripsi IL BVON' GVSTO. Atque in ea eminere Patrem Paulum Segnerum Societatis Iesu puto: virum doctissimum, atque acri iudicio in suis scriptis semper vsum, cui multa debere me profiteor.

LXXIII.

Restat, vt hanc doceam partem, quæ Rhetoris vsum
Nomine præcipuo sibi vindicat, vnaque sese
Rhetorices finem nunquam progressa fatetur.
Hic sua Regna tenet, nulli seruire coacta,
Præter quàm propriæ (qua gaudet nata) parenti,
Scilicet huic arti. Nonnullis cętera forsan
Artibus annumeres, alijsque accepta referre
Sæpè queas: Ast istam formam nulla parabit
Ars: alibi numquam inuenias: sed maximus vsus
Est huius: totam solet hæc peruincere causam
Sæpiùs, & magni moderari frœna Theatri.
Est autem (tandem vt noris, quò tendimus) est hæc
Pars ea, quæ mentem turbat spectantis, & ipsum
Pollicit in nostrum studium, qua sæpè mouetur
Præcipiti cursu, atque gradu trepidante, voluntas.
Tunc sociæ Rationis opemque, aciemque relinquit
Transfuga, & aduersos non rarò fertur ad hostes.
Affectus mouet illa omnes, turbatque quietem
Mentis, & in quamuis potis est propellere partem.

AD-

ADNOTATIO.

DOcet Auctor noſter rationem excitandi affectuum eſſe propriam artis Rhetorices. Quod verum eſt. Hæc enim Ars propriè popularis eſt: populus autem affectibus maximè regitur. Porrò affectus turbant mentem audientium; efficiuntque, vt ſic turbati (adeòque mente obnubilati) aliud de cauſa iudicent, quàm iudicabant nondum affecti, aut turbati. In hac turbatione commouenda, multus (ex natura ſua) eſt Orator, benè gnarus ab illa expugnari animos Iudicum. Prophani Oratores in excitandis affectibus toti ſunt; neque admodum curant, iuſtè nè an iniuſtè excitentur. Nimirum apud ipſos eſt lex

—— *Dolus, an virtus quis an hoſte requirat?*

Sacri verò dum eos commouent, id vnum reſpiciunt, vt Voluntatem Auditorum inducant, & pelliciant ad ſuum bonum amplectendum, & à malo ſuo dimittendo. Sentiunt enim hi, non peccari à malis hominibus (ad quos verba faciunt) ignorantia, intellectus, ſed aut peruicacia, aut imbecillitate voluntatis. Propterea ad huius victoriam collimant, & collimare debent. Alioquì fruſtranea eſſent omnia, quæ docendi cauſa dicerentur, niſi voluntas ſuperaretur.

LXXIV.

Vtitur officio hæc duplici, loca bina frequentat,
Vt faciat quodcunque parat: namque occupat ipſum
Dicentem, atque ſuo verſat prò iure loquentem,
Et faciem, & vultum fingit, vocemque ſonoram
Temperat, vt morem in ſimilem trahat vſque theatrum,
Præterea in totis verbis dicentis, & omni
In ſermone ſedet pars iſthæc, ſeque videndam
Exhibet, atque animos inde expugnatque, trahitque:

ADNOTATIO.

DVo ſunt illi facienda, qui velit affectus excitare in ſuo Iudice. Primò ipſe occupetur illo affectu, quo alter eſt commouendus. Vtque appareat ſe affectu (quem dicebam) occupatum; faciem, & vultum, & vocem ità fingat, vt petit ille affectus, ſiue illa animi perturbatio. Deinde ſpargat eumdem affectum in tota Oratione. Certè diligens lector obſeruare

pote-

poterit in longissimis Oratiouibus Tullij diffundi passim illum affectum (Iræ V. gr. Miserationis, Odij &c.) quo satagit expugnare Iudicem suum. Adeò vt vix vlla sit periodus, quæ illi affectui non famuletur.

L X X V.

Iamque alibi dicam, quo vultu formet agentem,
Quoque tono, quali gestu. Nunc accipe paucis,
Qua ratione ipsum sermonem temperet, vt sic
Instructos Oratores victricibus armis
Producat, donetque sacram meruisse coronam.
Non solum narranda tibi sunt gesta sonoris
Vocibus, & proprijs, & quas res postulat ipsa:
Ast ex communi, quam diximus antè, locorum
Congerie, tragicas voces, & magna parabis
Nomina, quæ stupidis immittant mentibus ignem,
Frigidaque incendant paulatim pectora, donec
Æstuet, impatiensque tremat, nec murmure paruo
Obstrepat, atque tuis videatur cedere votis
Turba omnis. Tu quàm possis dic maxima verba,
Quæ furias, iram moueant: sedentue dolorem:
Vel pietate animos tentent: miserandaque pone,
Vel quæ ex natura, vel sorte vocabula constant.
Qualia sunt Præceptoris, Sanctique Parentis:
Qualia sunt nati, & sponsi: fraterque, sororque:
Templaque sacra Deum, violatæ Numinis aræ,
Diuinas iras, contemptaque fulmina, Cœlum
Infensum, terras pollutas.

A D N O T A T I O.

Totam mouendorum affectuum artem hic certè Benedictus non profert. Est enim valdè copiosa. Illam enucleauit maximus huius artis eximiæ Magister Aristoteles, ex quo cæteri petiuernnt: & ego cuperem ab omnibus Oratorem agentibus diligentissimè euolui. Neque pariter ad omnes se extendit affectus. Tres indicat: Iram, vt excitetur, Dolorem, vt sedetur, Pietatem, vt inducatur. Docet vsum vocabulorum energiam habentium, & maximorum. Docet pariter vsum vocabulorum, quæ tenera sunt, Vt Præceptoris, Nati, Sponsi, Fratris, Sororis. Illorum denique, quibus significatur aliquid Sacrum.

Sacrum. Quæ ſicut in exemplum afferuntur, ità nos monent non eſſe hæc omnia, quibus Ars affectuum vtitur. Moneo lectorem meum, vt Poetas legendo, attendat quem affectum in ſuis carminibus excitandum ſibi proponant; & ab ijs videat in praxim redacta hæc Ariæ-Montani documenta. Moneo quoque, vt Prophetas euoluat; pariterque notet, quem præcipuè affectum mouere intendant. Vtique intelliget, viam ab illis teneri à noſtro nobis auctore demonſtratam.

LXXVI.

——— Amplius illud.
Eſſe ſolet, quoties ipſum depingimus, in quem
Dicimus, aut prò quo, & viuam proponere formam
Illius antè oculos Prætoris nouimus aptè.
Vel ſæui in primis mores, naturæ rapaxque,
Deformi vultu monſtrum, nec voce modeſta,
Non hominis quicquam, niſi vox, bipediſque figura eſt.
Has igitur ſpecies quæres, proprioque locabis
Tempore, vt affectus incendas, cordaque pulſes.

ADNOTATIO.

Hippothypoſis (beneficio cuius res ità exprimitur, vt oculis ipſam cernere videamur) valet ad mouendos affectus. Valet etiam Ethopeia: hoc eſt deſcriptio, & expoſitio morum alicuius. Proinde Cicero vtraque vtitur in Catilinarijs, in Verrinis, in Philippicis, contra Catilinam, Verrem, & Antonium, vt odium in illos concitet. Sicut etiam prò Milone, prò Archia, prò Sextio, prò Marcello, vt miſericordiam illis obtineat. Poetæ ſunt in vtraque eximij. Sacri Oratores oſtendunt populo effigiem Chriſti patientis, vt eliciant ab illo culparum commiſſarum dolorem.

LXXVII.

Sed mea nunc triſti torquentur pectora luctu,
Et ſubitò lacrymæ exundant, ſuſpiria pectus
Ecce cient, penituſque artus tremor occupat omnes.
Ad ſolitos mea Muſa Eleges miſerabile carmen
Prouocat: infelix venit modò Nuncius. Ergò
Ergò erit, vt quantum vitæ mihi Fata pararint

Lucti-

Luctibus impendam miseris? nulla hora dolori
Non vacet? Atque nouis veteres iungantur, & omni
Tempore lugubres fundam, tristesque querelas?
Non satis, ô Superi, Sanctos sepelisse parentes,
Sanguinis & cari tantum, tantum Sociorum?
Non, & amicorum tanta caruisse corona?
Non satis hoc? Etiamne meum rapuisse Catheiam
Defuit? Heû Cœli facinus! Proh crimina sæua;
Si verè quis sit meritus! Cui fila sororum
Candidiora trahi decuit, maioraué semper?
Quem vidit nostro meliorem tempore totum,
Hispanumuè genus, doctorum aut Gallia nutrix?
Quemuè magis stupuere virum, seù carmina pulcra
Condidisset, queiscunque modis, siue ore sonaret
Liberiore, Viris quoties insignia doctis,
Et virides lauros donaret? Quem magis acrem
Spectasti, quandò certamen inire parabat,
O Schola! Complutum! Siue hic mysteria magna
Naturæ, rerum causas tractaret, & alta
Principia, & fines mundi, seù sacra Deorum
Numina, & arcanis quæcunque latentia libris
Tradidit à Superis demissus Spiritus oris:
Siue pias leges, & Patrum scita piorum,
Nemo fuit nostro magis admirabilis æuo.
Nemo suis facilis magis, aut iucundior vsquam,
Charior; & nobis nemo sperauimus illo
Præside, barbariem fædam, stupidosque Sophistas
Sedibus è nostris cessures, nostraque regna
Musarum cultis donis, & munere Phœbi
Non caritura diù. Verùm spes irrita nostras
Frigere, aut sæclum non felix, Numinibusque
Inuisum, & genus incultum, vel barbara semper
Natio non meruit tam pulcra munera laudis.
Ergò Vir nobis raptus lugendus, & omni
Concilio vatum, & si quem felicius astrum
Finxit in excelsas propensum ardentiùs artes.
Nam quid agas tanto Matamore, orbatus amico
Alphonse, ô nostra decus Hispalis, & mihi vita
Charior, & nostro mecum constricte Cathenæ.
Quas lacrymas fundas tristis? quæ flumina mœstis
Sufficiant oculis? Quis te locus, aut quæ mundi
Pars capit hoc solitum, gremioque, sinuque foueri?

Scilicet (heu!) nostrum decus vnà amisimus, illo
O, quàm vita olim fuerat dulcissima, rapto.

ADNOTATIO.

OPportunè agens de affectibus exijt Arias in affectum doloris propter mortem Catheiæ amici suauissimi. Imitatus est Virgilium, qui in fine primi Georgicorum (vt amænaret suum poema) luxit Cæsarem extinctum: & in quarto Aristæum. Prætereà lamentatione prosecutus amicum, præbuit nobis exemplar lamentationes construendi, & excitandi dolorem; præsertim adhibita Ethopeia: vt consideranti patebit.



RHE-

RHETORICORVM
LIBER TERTIVS.

I.

Intermissa diù, atque graui dilata dolore,
Dum casum tanti, Gaspar, lugemus amici
Carmina nunc redeunt, sed qualia nempè dolenti
Ex animo post tot planctus, post longaque morbi
Tempora difficilis, cum iam medicique timerent,
Tuque, domusque tua, & Mater dulcissima, quæ se
Exhibuit nobis, quæ me sibi iunxit, & omni
Officio veneranda mihi, & pietate colenda
Suscipitur, ceditque loco Genitricis amatæ.
Inuitæ veniunt ad carmina nostra Sorores
Pierides, Gaspar, mentem nam Musa quietam
Postulat, & stabiles sedes, & gaudia longa.
Solicitos, tristesque animos, atque anxia vitat
Pectora curarum varijs districta catenis.
Sed vocat Officium, promissa & debita tantis
Temporibus, studiumque tui, lex sanctaque nostræ,
Gaspar, amicitiæ, & quæ te cura intima versat
Discendi, quà tu nostros quotcunque lauat nunc
Betbis Oliuiferis redimitus tempora sertis
Exuperas Iuuenes, quibus (heù dolor, & pudor ingens!)
Et vita, & vires fugiunt, æuique virentis
Flos operæ pretium magnum facturus inerti
Marcescens torpore perit, vel sensibus altis,
Damnosa aut tabula, aut insani vulnere amoris
Obruitur, miseræ indicium præbetque senectæ,
Et fœdam de se speciem, tetrumque remittit,
Quo nares superùm puras infestat odorem,
Irritatque truces iras, & fulmina magni
Numinis inuito cogit discedere iactu.
Quos igitur nunc Musa negat mihi, cura cui det
Incæpto numeros operi, tibi grata futura
Carmina, & eximios vsus paritura legenti.

ADNOTATIO.

VT patet, versus superiores continent officiosum exordium ad amicum; cui suorum infortuniorum suauissimè memoriam refricat ob mortem amici Cathenæ.

II.

Hactenus ergò locos dedimus, quibus eruta cunctis
Argumenta patent rebus; quo fomite flammis
Interdum incendas animos, & turbine vertas.
Nunc igitur formas dicendi texere disce,
Ordirique omnes, neque enim mihi fila satis sit
Plurima monstrasse, & vario de vellere ducto,
Ni formam, finesque operis, & corpus agendi
Quæ Patribus quondam dicta est Oratio, monstrem;
Proponamque omnes partes, quoque ordine sese,
Qua serie nectant, quo tempore cuncta sequantur,
Ne sine principio incipias, sine fine quiescas,
Aut medium nullum inuenias.

ADNOTATIO.

REpetit breuiter, quæ superiore libro tractauit; & illa proponit de quibus hoc: insinuatque se dicturum de partibus Orationis,& de illarum ordine; in eum finem, ne ignarus sui Operis Orator, aut sine principio incipiat, aut sine medio prosequatur, aut sine fine quiescat. Hoc autem esse contrà lumen naturæ, paulò post ostendet. Ego interim moneo lectorem meum, ab Aristotelę præcipi, vt quælibet scriptio habeat principium medium, & finem: hoc est, inde incipiat vnde est incipiendum: ibi finiat vbi est finiendum; & medio loco ponat, quæ illo loco sunt constituenda. Quod sicut facilè dicitur, ità conanti difficile apparet; est enim opus mentis, quæ antequam calamum arripiat, rem totam secum digesserit.

III.

——— Vt plurimus Olim
Orator, qui dum Naturæ negligit amens
Effigies, artemque fugit, traducit inerti

Tem.

Tempora clamore, atque ingratas pertrahit horas,
Vt nihil efficiat, nisi tantum fallere, seque,
Atque alios, qui nec capiunt quo tempore primum
Inchoet, aut quandò dicendo finiat idem,
Cum tamen audirent, & testes auribus essent.

ADNOTATIO.

NEcessitatem indicat benè incipiendi: benè prosequendi, benè finiendi, vt se gerit Natura. A cuius exemplari Oratores, qui discesserunt, omninò hoc vnum per horas dicendo effecerunt, vt se ipsos fallerent, & Auditores, qui sentiebant, se nesciuisse quo tempore incæperint, & quo desierint.

IV.

Namque caput rebus dedit omnibus ipsa creando,
Et certo Natura Parens in fine reclusit.
Iamque modos certos semper, numerosque secuta est
(Iudicio inducta eximio) quibus omnia finxit;
Nec quas principio leges ea condidit, vnquam
Transtulit, atque alias inijt, sed fœdere certo,
Perque suas olim formas solet ipsa referre
Singula. Non caput immensum sine corpore condit,
Nec caput vsque breue ingenti dat corpore iunctum:
Prouida componit res cunctas, singula membra
Digerit, & quæ sunt contraria, monstra putamus,
Non ex Naturæ serie, sed sorte parata,
Materia turbante vices, & mole grauante
Artificem formam. Sed contrà, legibus ijsdem,
Atque modis non iniustis formata nitescunt.

ADNOTATIO.

PEr locum communem exposuit quid faciat Natura, quotiescunque aliquid creat; & qua acrimonia iudicij perficiat opera sua, certas quasdam leges obseruando; à quibus quandò aliquandò disceditur, opus quod exoritur, monstrum est, forte eductum, non arte formatum. Hæc elegantissimè commemorat, vt deinde Oratorem hortetur ad huiusmodi exemplo se conformandum.

V.

Æmula naturæ Ratio, quam dicimus artem
Has sequitur leges, cuncta hæc vestigia seruat,
Ambitiosa adeò, vt numquam sibi monstra putarit
Effingenda, magisque legit pulcherrima quæque,
Hæcque refert totis studijs, hæc sola frequentat,
Si modò culta sit Ars, & munere fungitur illo,
Si cupit, vt ponat nomen, famamque disertæ.

ADNOTATIO.

ARs æmula naturæ est; Artemque ait auctor noster esse Rationem rectam, siue præceptis bonis imbutam; quæ semper intenta est, ne in opus monstrosum erumpat. Propterea qui velit, & profiteatur ex arte dicere, hunc oportet Naturæ assimilari.

VI.

Namque per occidui fluctus maris omnia semper
Diuitibus nobis, quæ portabantur ab Indis
(Cum primùm immensum Pelagus, nec cognita priscis
Æquora ab Hispana primum tentata carina)
Materia forsan fuerant miranda, sed omni
Arte tamen vacua, & nullam referentia formam.
Ingens sæpè caput specie deforme tenebant,
Inualidi ceruix colli, & tenuissima crura:
Atque auibus, plantisque eadem, reliquisque animantum
Effigies formis, populi testata vetustam
Barbariem penitus, cultuque, atque arte carentis.

ADNOTATIO.

VT magis illustretur doctrina de conformando se Oratore Naturæ, afferuntur per similitudinem res admirandæ in speciem, re vera monstrosæ, quæ in Europam veniebant ab Indijs Occidentalibus. Vtcunque materiæ causa pretium haberent, illo sanè carebant, considerata forma: erant enim omni proportione, & mensura destituta. Huiusmodi esset Oratio, si à legibus artis naturam imitantis discederet. Quam-

quam enim peregrina dicat, erudita, docta, abſcondita (hæc nihil aliud ſunt quàm materia) ſi careant forma, quæ ab arte inducitur, erunt monſtra, à Sapientibus (ſæpè etiam à populo) deridenda: ad finem certè Rhetorices nullo modo conducentia. Rhetor enim, & Orator, cum arte vtantur, à monſtris abhorrent arte carentibus.

VII.

Sic igitur quæcunque voles orare, paratam
Materiam in formam rediges, & finibus illam
Compeſces certis; & ſingula membra locabis
Artifici ingenio, & numquam Rationis egente.

ADNOTATIO.

HOc vellem altè infixum animo Oratoris, vt dicat ex arte: vtatur ingenio (ſine quo nullo modo poſſet loqui) ſed ab arte (hoc eſt à Ratione præceptis imbuta) gubernato. Adeò vt interrogatus, cur hanc viam potius quàm aliam calcauerit; reſpondere poſſit, ſed afferendo ſui facti cauſam.

VIII.

Et caput in primis fingas, exordiaque apta
Conſtituas (nam ſic caput hoc dixere Priores)
Hinc narres: & proponas, firmetque probando;
Confodias quodcunque timebis obeſſe; perores
Poſtremò: Officio ſic perfungere petito.
Partibus his etenim his ter perſoluerat omnem
Dicendo effigiem quiſquis iam Rhetoris artem,
Natura monſtrante, modum didicit retulitque.

ADNOTATIO.

SEx Orationis (hoc eſt illius complexionis, tum ſententiarum, tum verborum, quibus vtitur ille, qui arte Rhetorica inſtructus loquitur in aliquo ex tribus dicendi generibus, Demonſtratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali) partes oſtendit. Videlicet, Exordium, Nouationem, Propoſitionem, Confirmationem, Confutationem, Perorationem. Has autem partes, quibus conſtat (plerumque, licèt non ſemper) Oratio,

ait Arias à Magistris dicendi fuisse sic tum præscriptas, tum ordinatas, quià Natura hunc illis modum ostendit. Et verè sic habet se res. Nam si aliquis non Orator, apud aliquem de quopiam negotio verba faciat, vt aliquid obtinent, omninò (quamquam artem Rhetoricam ignoret) Exorditur, narrat (si opus est) proponit, confirmat, confutat, perorat. Meus lector se ipsum in aliquo negotio constitutum consideret, vt videat, an hac via incedat; ducente Natura.

IX.

Omnis cura tibi in primis, studiumque, laborque
Dum causam ordiris, prudensque exordia texis,
Conciliare animos, seù Iudex sit tibi apud quem
Orabis, seù concilium, populique theatrum:
Te gratum exhibeas cunctis: Venare fauorem
Viribus, & totis, & totis artibus illis,
Quas locus, & quas causa queat monstrare parata.
GRATIA habet magnum rebus iam pondus agendis,
Tunc facilè audimus, dicenti credimus, atque
Tunc cupit vt vincas Iudex, omnisque corona,
Emendatque animo, & patitur magis omnia; cum tu
Laberis errore exiguo, fert longior vt sis
Dicendo. Tandem magnæ victoria partis,
Principium est habuisse decens, & pulcra locasse
Fundamenta suis numeris ornata, modisque.

ADNOTATIO.

Valdè commendatur Oratori, vt curam, studiumque impendat in benè exordiendo. Præcipuè in conciliando (hoc est amicando) sibi tum Iudicem, tum Auditores: & multa commoda recensentur, quæ Oratori obueniunt ex animis in exordio suo conciliatis. Hoc monitum magni est faciendum. Neque vnquam, ad quoscunque habeatur sermo, illo vtendum est exordio, quod odium pariat Oratori. Semper est satagendum, vt gratus sit Auditoribus suis. Qua de causa, numquam Satyricus sit: sit moratus quidem, non autem Satyricus. Moratus dicit spectantia ad omnes; & offendit neminem: Satyricus ad certos, quos vult ferire, & fit odiosus.

X.

Multa monent Oratores, & multa frequentant,
Dum causam incipiunt: tamen omnia, nempè duobus
Concipimus deprompta locis: Namque altera pars est,
Cum nos Officium nostrumque, animumque probamus,
Et quæ nos ratio compellat dicere, & illud
Suscipere Officium: Communia commoda nempe
Nos agitant, Sanctæ leges, Astræaque Diua,
Quæ iacet, atque suis queritur deserta Ministris.
Prætoris tum fama etiam, cui tendimus ipsi
Consulere, & ne per populum rumore sinistro
Immeritò pereat neglecta, & fœda, cauere.
Iamque etiam Diuinus honor, iam Numina Cæli,
Religioque Patrum nobis suscepta docentur,
Prò quibus, haud dubitas dulcis discrimina vitæ,
Exilium, gladiosque truces, & cuncta subire.
Ipsius pietas turbæ pereuntis, & iras
Numinis in se se vstrijs quæ prouocet, atque
Criminibus, nos sæpè mouet, cogitque probari.

ADNOTATIO.

EX ijs, quæ præstare solent Oratores boni in suis exordijs, vt sibi auditores concilient (hoc est amicent, beneuolosque reddant) in hac particula, primum assignatur. Desumitur autem à Persona Oratoris. Hic conciliabit sibi Auditores, si causam aliquam afferat dignam laude, à qua dicat se fuisse pellectum, vt apud ipsos verba factitet: Multas in exemplum causas Auctor ennumerat; ex quibus futurus Orator facilè conijciat, quas ipse proferre oporteat. Hoc enim fixum esse debet, tamquam legem immobilem. Orator sibi Auditores amicat, si vir bonis moribus appareat præditus, Præsertim si appareat ornatus virtutibus aliarum chorum ducentibus, Prudentia, Iustitia, Temperantia, & Fortitudine: vel certè illarum amator. Vt proinde definitus egregiè fuerit Orator; VIR BONVS. dicendi peritus. Adeò vt ægrè separaueris has dotes, bonitatis, & peritiæ ad dicendum. Sed de his erit occasio aliàs loquendi. Cætera consideranti sunt patentissima.

XI.

X I.

Altera pars in dicendo exorditur ab ipsis
Iudicibus, seù Personis quascunque pararit
Instruere, inque suum studeat perducere votum.
Inflammare solet concepta aut crimina facti,
Iustitiæ aut munus proponere, vt Arbiter ille
Nil prius, aut maius credat quàm iura tueri,
Exercere pias leges, patriaque Tyrannos
Eijcere, atque bonis requiem præstare, pijsque
Hæc me (inquit) Iudex spes, hæc me fiducia cogit
Suscipere ingentem causam, tantumque pericli
Aduersus tot opes, aduersusque improba tanti
Facta hominis, tantasque minas timuisse, nec vllum
Discrimen meque Actorem præstare fidelem
Iudice tam Sancto confisus, tamque fideli.
Te studio populi verum cupientis, & æquum
Noscere, & ardentis Diuum pietate parare
Suscipienda tibi durissima munera, onusque
Dicere de cultu Diuum, de Religione;
De magnis voluisse etiam Virtutibus, & quæ
Præmia sint Iustis certa, & qui Sontibus ignes,
Quæ Superum Regna, & quæ sint inferna docere.

A D N O T A T I O.

A Persona Oratoris transit Arias ad personas Iudicis, & Auditorum. Quod ideò facit, vt erudiat Oratorem si loqui debeat in foro, vbi tractantur negotia ciuilia: ibi enim Iudex, vel Iudices sunt. Si verò loquuturus est in Templum, in quo Christianus populus audire soleat Sacros Oratores verba facientes de illis, quæ spectant ad Religionem; insinuat etiam quomodo in exordijs se debeat gerere. In vniuersum cum Iudicibus foro præsidentibus, & cum Auditoribus in Templo morentibus, affectus sunt adhibendi; quorum ope, tùm Iudex, tùm populus se excitent ad præbendas libenter aures Oratori. In hoc enim versari debent exordia, exordiorumque artifex, vt præparet animos illorum, apud quos verba facit, vt sibi libenter attentionem commodent.

X I I.

XII.

Tandem si paucis cupias rem noscere verbis,
Ostendisse libet caput vnde exordia cuncta
Ducantur: Tunc permittam tibi cętera docto
Cernere Iudicio, variare, & tempore in ipso
Eligere optandas partes, & commoda causis.

ADNOTATIO.

NIhil magis amat ineptus discipulus, quàm præcepta excipere prò omnibus omninò, & singularibus causis. Sed hoc fieri nequaquam poteſt. Sunt enim hæ sine numero. Proinde, cnm Magister ostenderit prima suæ artis capita, oportet Discipulum vti suo tùm ingenio, tùm iudicio; & transferre ad suam peculiarem causam, quæ audiuit doceri de omnibus in Vniuersum. Quis enim Vitruuius E. g. tradens regulas ædificandi, descendit ad singula ædificia? Hoc fieri nullatenus poteſt. Hoc pendet à circumstantijs: quæ numero carent. Omnis enim ars, & disciplina est de vniuersalibus.

XIII.

In tota quæ circumstant te sæpè corona
Conspicitur persona duplex, Tua scilicet vna
Orantis: reliquique omnes sunt altera, apud quos
Verba facis. Iam Personæ exordire licebit
Respectu alterius, quam scilicet exigit ipsa
Causa magis: Tua sit, siue Auditoris: Ab illa
Argumenta petis, animosque incendis amore,
Siue tui, siue & causæ: Vel vertis in iram
Conceptos fortè affectus. Sed si potes illud
Pleniùs, ac melius fuerit, si ducis vtrisque
Principium de Personis. Hæc summa locorum
Vnde pares gratos orsus, primordiaque aptes.

ADNOTATIO.

VIden' amice Lector, quàm pauca sint, quæ ex arte discenda sunt vt bona conficiantur exordia? Respicias personam suam Orator: respiciatque etiam Auditores. Deinde sumat

mat materiam exordiendi, vel à sua, vel ab Auditorum, vel ab vtraque. Nihil veriùs, nihil breuiùs. Verùm sicuti hæc in vniuersum traduntur à Magistro artem tradente, ità est illius, qui huic se conformat, hæc præcepta deducere ad singulas Orationes. Quod vtique noui præcepti opus non est: alioqui tot essent præcepta, quot Orationes. Quod tamen fieri nequit.

X I V.

Sed non vna tamen dicendi occasio, nullum
In numerum cogas formas, quibus incipit omnis
Orator. Quoniam quidam deducit ab ipso
Tempore, & à festis: Quidam mirantur, & altum
Iudicium laudant Veterum, qui iura tulerunt
Talia, tam iusta. Ac sunt, qui sua munera sæpè
Excusant, vtque inuiti, multumque rogati
Pulpita conscendunt. Tandem si audiueris omnes
Quotquot agunt causas, multa obseruabis agendi
Principia nullos legum subeuntia fines.
Quæ tu imitans disces multò, quàm nempe docendo
Promptiùs, & melius. Nec enim turbare minutis
Discipulum cupimus præceptis. Ars breuis vt sit
Indicet, & veterum referenda exempla parantur.

A D N O T A T I O.

MVltas exordiendi vias videt lector superioribus versibus coaceruatas. Quibus deinde additur, carere numero formas exordiendi. Propterea qui amat proficere in arte Oratoria, tum legendo, tum audiendo Oratores, obseruet singulorum formas. Ex qua obseruatione fœcundabitur eius ingenium, & multò plures excogitabit. Præceptor qui suscipit instituendos in arte benè dicendi Adolescentes in hoc sit intentus, vt plurima ostendat illis vel à se elaborata, vel ab alijs vsurpata Orationum principia. Abundant, si vnquam, nunc Auctores. Cum verò Orationum principia dixi, sciat Præceptor, quem alloquor, se non limitari ad eos, qui dixerunt in foro; sed extendi ad Scriptores Epistolarum, Concionum, Odarum, Elegiarum; ipsarumque quas habent Epici Poetæ Orationum. Omnes enim habent eiusmodi exordia, ex quibus proficere potest Orator; si derelictis quæ propria sunt illorum, vtatur ijs, quæ Ora-

Oratorem (hoc est hominem ad multos dicentem) decent: & sunt illi, immò omnibus, communia.

X V.

Iamque monendus erit nobis Orator, vt illud
Cogitet in primis, memorique in corde recondat,
Præcipuam Officij partem, momentaque magna
Vt succedat opus, fructus referatque petitos
Esse opportunis affectibus insita. Namque
Vt vincas ratione omnes contingit, & vsque
Viribus adstrictos veri, teneasque, ligesque:
Sed tamen exhausto ingenti plerunque labore
Nil tandem efficias, victos, vinctosque catenis
Cum teneas, nec iam arma queant ostendere contrà,
Nec mutire quidem. Lassus tamen omnia frustrà
Aggressus, sede immotos, fixosque relinquas;
Quique premi se se patiantur, cedere nolint.
Nimirum, quod se victos ratione fatentur
Mente negant, atque affectu. Verùm vtraque pars est
Peruincenda: etiam magis hæc, cui cæca voluntas
Præsidet, huic hominum quoniam pars maxima seruit.

A D N O T A T I O.

COmmendatur Oratori vsus rationum; & simul vsus affectuum. Nam sicut ratione expugnatur hominis mens, ità affectibus voluntas. Vtraque hæc machina est producenda in Oratione, neutra est omittenda. Plus tamen est vacandum affectui; idque, ait Arias, quià pars hominum maxima cum rationi non obediat, affectibus tamen seruit. Cuicunque literarum humaniorem studioso hæc pars eò magis est commodanda, quò minus in illum inclinat vnusquisque ingeniosior. Qui enim pollet ingenio, atque doctrina, totus est in ostendendo Auditoribus illa esse, aut suscipienda, aut omittenda quæ argumentis, siue rationibus ostendit. Verùm sibi persuadeant Omnes ingeniosi, populum, cuius gratia præcipuè sunt literæ humaniores, & multò magis publicæ conciones, rationibus (præsertim ingeniosissimis, adeòque subtilibus, hoc est nimis remotè petitis, tamque altè collocatis, vt hebes eorum mens nequeat illas discernere) minus moueri quàm affectibus. Hoc quamquam verissimum sit, à paucis tamen vsurpatur. Qua de

causa?

causa? Ea, quià putant nihil in ea tractanda esse ingenij. Sed iniuria.

X V I.

Dum colit ergò suis rationibus omnia, latos
Et disponit agros sermonis Rhetor habendi,
Differat & mentis valdè opportuna mouendæ
Semina, multa quidem, sed non perdentia cultum
Alterius partis, magis atque iuuantia certis
Disposita in spatijs, vt non sibi retia tendi
Sentiat Auditor, nil non fastidiat, artis
Conscius, aut cumulo nimium depressus inerti.

A D N O T A T I O.

POtentissima Affectuum machina vtendum est cautè; alioqui erit inertissima. Ait igitur Arias, neque palàm esse vsurpandos in quacunque Orationis parte affectus; neque in ea in qua incipit rationes suas distribuere, vt ex ijs coalescat Oratio. Si enim palàm adhibeantur, Auditor intelligens se capiendum affectu, non ratione docendum, despiciet, imò oderit Oratorem sibi molientem insidias. Si veò etiam ingerantur in eum Orationis locum, qui datur rationibus (spectantibus ad mentem) turbabuntur ipsæ rationes ab affectibus, qui nihil aliud est quàm Turbatio animi: Quare certis quibusdam Orationis partibus sunt distribuendi, ne deprehendantur ab Auditore. Imò neque sunt nimium cumulandi: cumulati enim affectus sibi inuicem nocent.

X V I I.

Certa solent Oratores sibi tempora docti
Captare bis disponendis affectibus: atque in
Principio primo dicendi semina spargunt,
Perque aditus fermè totos; tamen abdita, ponunt,
Nec nimiumque fouent, quantum vel pectora tentent
Et subeant Auditorum, cælataque linquunt
Interius: cultus tamen, atque potissima cura
Differtur finem vsque ipsum: Tunc viribus illos
Omnibus affectus tractat, recolitque, fouetque
Quos in principio dispersérat.

ADNOTATIO.

AFfectus vbique spargendi sunt; sed occultè. Palam autem & apertè sunt mouendi in fine Orationis. Si legatur (inter cæteras) Oratio quam Cicero habuit prò Milone, reperietur à Maximo Oratorum, ità sparsos fuisse in toto illius Orationis corpore affectus moturos Pompeium, & conciliaturos fauorem Iudicum Miloni, eorumdemque odium Clodio, vt tandem in peroratione omnes emergant, velutique in flammas erumpant. Si quærat meus Lector, quomodò spargantur? Respondeo, si in quacunque Orationis parte aliquid dicatur, quod seruiat fini, quem Orator intendit. Volebat Cicero misericordiam parare Miloni, vt absolueretur. Quid agit? Quotiescunque aliquid pronunciat spectans ad Milonem, illud ipsum laudat, & vel aliquo epiteto, aliquo aduerbio, aliqua circumstantia vestit, ex quibus (parum quidem semper, sed tamen sæpe) appareat Milo vir dignus absolutione: Clodius autem dignus morte. Quid aliud sunt illa, quæ in exordio collocat. *Ne turpe sit prò fortissimo viro dicentem timere: minimeque deceat eum ipse Milo de salute potius Reipublicæ, quàm de sua turbetur?* Quàm frequens est in huiusmodi formulas ille magnus vir? Consequitur verò ex his, quietis quidem, ac tranquillis, sed sæpiùs repetitis clausulis, vt sensim Auditor amet Milonem, auerseturque Clodium. Adiuuant denique Patronum Milonis, vt possit in peroratione illos affectus exerere, quos exeruit, iam non secretò, sed palam. Hoc animaduertere licet in quocunque bono, etiam Historico, nedum Poeta, & Oratore. Vide dicto lib. 2. num. LXXIV.

XVIII.

——— Ergò memento
Plurima fila tibi, quandò exordire, trabenda
Partibus ex illis, quæ perturbare quietam
Sufficiunt mentem, nostrisque inducere votis

ADNOTATIO.

SPargendi sunt in exordio illi affectus, eorumque semina, quibus nos præuidemus opus habituros in fine Orationis. Si enim in principio Orationis incipimus turbare mentem (portionem animæ ratione vtentem) & inuadere voluntatem,

tem, iam habebimus dispositum Oratorem, vt nobis perorantibus cedat.

XIX.

Prætereà ne longa nimis tu exordia ponas
Deceptus dulci inuento, feruoreque primo
Dicendi: Nam sunt quibus ipsa Oratio sæpe
In caput omnis abit; sed cætera corpore membra
Exigua, & tantis non respondentia cœptis,
Ridiculumque parant, & opus, vacuumque laborem.
Sunt quibus vsque adeò crescunt exordia, longam
In reliquas etiam partes minitantia molem,
Vt nemo assistens spectandum ducat, & aures
Obturet, metuatque sibi, & subsellia linquat.
Aut saltem si hunc religio teneatue pudorue,
Officijue fides, populi, aut reuerentia legum,
Omnia agat potius, quiduis meditatur & intra
Se tacitus voluit, placidas quàm commodet aures
Dicenti attentos oculos, animumque fauentem
Iamque adeò vulgus, iam plebs, ignaraque turba
Metiri didicit iam fastidire priora
Verba salutantum sacro in sermone, nimis si
Prolixa, atque nouo sint ostentata reperto.
Ergò breue incipiat, prò tempore scilicet, atque
Pro modulo causæ dicendæ, ac quadret in ipsa
Membra caput, quisquis nostris attendere curat
Præceptis, namque huic etiam parere iuuabit.

ADNOTATIO.

IVre immoratus est Arias in comendanda exordiorum breuitate. Neque eius admonitioni quidquam habeo, quod adijciam, vt clarior fiat. Placet vnum animaduertere, quod, experientia me docente animaduerti, à nonnullis protrahi in longum Exordia. Id autem euenit, quià sæpissimè in Exordium conijciunt Orationem; & propterea iam non est Exordium, sed alia Oratio. Audiui enim qui probabant id quod obiter aut dixerunt, aut erat dicendum, confirmabant, & (si Deo placet) confutabant, & perorabant. Quod genus exordiorum est hoc? Meminerit Orator exordium esse caput Orationis, nihilque prætereà. Animaduertat quid fiat in sermone quoti-

quotidiano, quandò aliquis Vir magnus aditur, obtinendæ rei alicuius gratia. Præmittuntur vtique officiosa verba, præparatur eius animus ad negotium, cuius causa illum conuenimus. Sed finis tandem, immò celerrimè, illi præparationi imponitur; alioqui, aut derideremur, aut ab eius conspectu abigeremur. Idem præstandum est quotiescunque ad multos verba facimus; tandemque dicendum est quid doceat natura, quam (heù nimium!) corrumpunt multi hoc ipso quod è loco Superiori verba faciunt. Præter fastidium verò, quod gignitur in animis Auditorum expectantium id, cuius audiendi causa venerunt, non præparationes; proh quantum temporis demitur ipsi Orationis corpori! Aut quàm longa contingit Oratio! Parcus igitur sit in Exordijs bonus Orator: neque velit omnia (aut nimio plura) in illud conijcere.

XX.

Grandia præterea ne sunto exordia, magnis
Ampullata modis, & vocibus vsque petitis,
Quæ tundunt aures sonitu, sed sensa ministrant
Exigua, atque animos fallunt sperantis ab alto
Principio montis partum, ridendaque tandem,
Aut quibus & caruisse velis spectacula promunt.

ADNOTATIO.

TVrgida carpit exordia, & ampullatis conflata verbis: quæ si derisa fuerunt à Venusino Poeta, vbi damnat exordium vatis, qui incæpit,

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum,

Quid exclamaret contrà Sacros Oratores ampullatissimè, contrà serietatem, & contrà maiestatem, pietatemque pulpiti, & Templi exordientes? Desinunt autem sæpissimè hæ Principiorum ampullæ in vessicas vento inflatas, ventoque eiecto diflatas: & apparet in illo partus montium, iuxtà illud

Parturient montes nascetur ridiculus mus.

XXI.

Vnde Parens Latij, tantumque furoris in illos
Diffudisse animos? tam sæuaque vulnera nostris
Vrbibus & populis, ferro grassante, latinum

Imperium vertisse feres? celebrataque quondam
Roma caput mundi trunco iacet inque sepulto.

ADNOTATIO.

Elulatione, siue lamentatione, quæ paucis inclusa est versibus, significat Arias, alia via se gessisse Romanos Oratores, qui in Vrbe, terræ non minus, quàm Eloquentiæ Regina prudentiùs orabant, & exordiebantur modestius, vt apparet ex Orationibus Marci Tullij.

XXII.

Talia sunt nostris nonnumquam Vatibus Orsa,
Cum tamen ardenti committunt prælia Marte.
Ille timens magnos vadit fugiendo per agros
Alter equo sequitur, per rura & proijcit hastam
Ast aliter noster Chirosius, vnica Bethis
Gloria, Castalidum decus, atque optanda Poetis
Mens priscis, optanda viris, qui liberiore
Eloquio, nomenque sibi, famamque pararunt.
Nec satis in patria notus, tamen inclyta famæ
Buccina per latium, per quos Germania fines
Extendit Gallos populos, extremaque nostræ
Hesperiæ auditur per littora: mirus vtroque
In genere, Hispanum seù tendat condere carmen,
Humanæ & celebrare prius monumenta salutis,
Tartareo quondam partos ex hoste triumphos
Attonitas reddit mentes, & viscera sacris
Ignibus ardere, & lacrymas diffundere cogit;
Siue canat lætum, Gasca redeunte trophæum,
Atque acie tantum visa, pauidumque tremore
Pizzarrum dare terga ferat, parataque magni
Littora Neptuni sæuo vsurpata Tyranno;
Siue etiam clarum in sua carmina Pontion armis
Aduocet indomitis figentem colla Iuuencis,
Argumento omni, atque omni mirabilis ausu.
Non tamen incœptis turgentibus, atque maligno
Progressu, potius grauis, atque modestus in ipsis
Principijs, prudens paulatim surgit, opusque
In mediumque decens, & finem protrahit altum.

ADNOTATIO.

OMnia, quæ superiores versus complectuntur manifesta sunt. Comparat Oratores (quos sua ætate audierat) tumidioribus vsos exordijs, comparat, inquam, turgidissimis plus iusto Poetis. Deinde arripit occasionem laudandi Chirosium Poetam, & Oratorem notissimæ famæ; sed in principijs grauem, & modestum: nullo autem pacto audacem, & turgidum. Sanè Oratores huiusmodi oporteret interdum perpendere, se iacturam facere boni nominis. Cum enim deberent audire, se cordatos esse decorique seruantes; proh Deum bonum, quam sibi opinionem pari vna? Vtique iuuenum sine decoro lasciuientium in Verbis, sicuti lasciuiunt, & luxuriunt in moribus. Ad minimum cogitare licet, illos ex animo nequaquam dicturos, qui exordia huiusmodi promunt nihil animi præferentia.

XXIII.

Pontius Hesperio genus alto à sanguine Regum,
Antiquo, longoque gerens se stemmate dignum,
Luditur hic tenuem non dedignatus auenam:
Dum tamen in tristes sedes Plutonia Regna
Inuidia tactos iuuenes descendere cogit;
Nigrantes adeunt Erebi fuligine portas,
Admotaque manu, bis terque quaterque trementes
Pulsant, ac magico tentant aperire susurro.
Quid melius priscis dictum, quid pulcrius? Ergò
Principia omninò clara, atque modesta decebunt.

ADNOTATIO.

SIcuti laudauit amicum suum, & Poetam egregium Chirosium, ità laudat Pontium. In eius carmine laudat id quod summoperè est commendandum; deinde concludit, id quod primò volebat, Principia Orationum clara esse, & modesta oportere.

XXIV.

Mox aliud tibi constat opus, voluendaque moles,
Sed quæ non egeat tantis iam viribus, & non

Postulet ingenij conamina tanta diserti;
Ipsa trahit quoniam se se, paretque volenti
Dicere, & ostendit formam, certamque figuram;
Et speciem fert ipsa sui, quam scilicet ornet
Orator, proprioque paret componere vultu.
Hæc pars antiqui dicta est Narratio, facti
Scilicet, aut dicti series, ostensaque forma.
Nam quæcunque forum admittit, vel concio plena,
Oratorque agitat sunt omnia, factauè dictauè,
Humanæ si sint causæ, partesue Deorum,
Quas agis; in duplici natura hæc cuncta feruntur
Dictum est, aut factum quidquid concluditur Orbe.

ADNOTATIO.

Expedita doctrina manuducente ad Exordium (quod est prima pars Orationis) transit ad secundam, quæ est Narratio. Definit Narrationem; docens esse Seriem dicti, aut facti. Vellem adolescentes (si qui legent has paginas) animaduerterent, se nihil benè narraturos, si in ijs, quæ suscipiunt narranda, seriem non habeant. Series porrò est ordinatio earum rerum, quæ præcedere debent, & earum, quæ subsequi. Adeòut si vnquam, hic certè credendum est Aristoteli docenti, quidquid ex arte scribitur, constare Principio, medio, & fine. Igitur qui narrat, solicitus sit sui principij, sui medij, sui finis. Videat quas rei circumstantias primo loco debeat reuelare lectori, aut auditori suo: quas secundo, quas tertio. Seruato enim hoc ordine clara erit; non seruato, erit confusa narratio, siue expositio rei. Videat etiam, quid interrogaret, Auditor, aut Lector, si narratorem posset interrogare de re narrata. Vt sic curet nihil omittere quod faciat ad plenam, integramque rei expositionem: ità vt illa siue lecta, siue audita, de nulla illius parte dubitari possit. Narratio aut facti (nempè expositio) aut dicti. Quid est difficilius, exponere quæ facta sunt, an quæ dicta? Mirabilis est Cardinalis Sfortia Pallauicinus, exponens, quæ dicta fuere in Synodo Tridentina.

XXV.

Hanc partem res ipsa dabit, nec ab arte petendum est
Quid narres.

AD-

ADNOTATIO.

ITà omninò est: Narrationis materia non inuestigatur ab ingenio. Subministratur Oratori, vel à cliente, si patrocinium illius suscipitur; vel aliundè; vt à libris, si quandò Orationem Panegyricam habiturus, facta viri, siue Diui laudandi petuntur à scriptoribus eorum, quæ gesta sunt ab ijs.

XXVI.

—— Quali ornatu dicenda parentur
Artis opus fuerit: quoniam querimonia vestit
Interdum rem dum narro, quam narrat & alter
Irato sonitu, & verbis fingitque loquendo,
Quos habitus prodesse sibi putat. Induit vnam
Rem vario cultu, atque refert Orator eandem.
Hic facinus misero narrat sermone parentis
Occisi, aut natum vultu præferre paratus,
Inque reum culpas, & causam conijcit omnem;
Et quæcunque reus peccauerit omnia profert;
Ille tacet quæcunque sibi nocitura putauit,
Et narrat factum leuiùs, sæuasque querelas
Fingit in occisum, sed crimina dirigit illuc,
Vnde sibi delata videt, ipsumque nocentem,
Narrando innocuum penitus monstrare laborat.
Ergo habitus quales deceat prò tempore, proque
Persona, & causa Orator narrando subibit.

ADNOTATIO.

LOquitur noster Auctor de narratione Oratoria, non autem de historica. Historicæ narrationis munus est, rem, sicuti euenit, verissimè, nulla falsitatis mixtura repræsentare. Oratoriæ est aliud. Qui enim Oratoriè narrat, in eum finem narrat, vt ad suam voluntatem Iudices ducat. Igitur in illud intentus est, vt aut prætereat quæ nocent huic suo instituto; aut dicat, quæ prosunt. Inculcet, exaggeret, minuat: vel contrà, & quæ sibi fauent, & aduersantur. Pariter vestiat factum potiùs hac, quàm alia figura. Neque scirem in quo magis emicare debeat Oratoris ingenium, & iudicium quàm in his, quæ dixi. Certè præstantissimus est Marcus Tullius, quotief-

tiescunque narrat factum aut clientis, aut inimici. Videantur narrationes scelerum Verris: proh quot circumstantijs vestiuntur, quot adiuncta reuelantur, quibus exclamationibus associantur, vt harum omnium beneficio lucem illam sortiantur, ex qua Iudices credant, nulla dignum esse clementia tam perditum hominem. Cuius artis, quià benè nouerat inscium fuisse Cæcilium Nigrum, idcircò in Diuinatione ostendit, non fuisse eligendum in Accusatorem contrà Verrem. Iam verò in causa Milonis, licèt factum non inficietur, sed fateatur à Milone Clodium occisum, nihilominus quot dissimulat? Quot excusat? Quot in bonam partem interpretatur? Ego, quandò erudiebam Adolescentes in classe Rhetorum, proponebam eamdem rem diuersimodè narrandam. Proponebam, vt diuersum sibi finem præfigerent. Narrare iussi sententiam à Manlio prolatam contrà filium, qui propter inobedientiam damnatus ab illo fuit, quamuis pugnando vicerit. Narrauerunt nonnulli, vt ex narratione Iudices fauerent Manlio: Narrauerunt alij, vt opitularentur filio. Quo artificio vtebantur? Hoc ipso quod Arias hic ostendit. Inde apud antiquos declamatores, ingeniosissimè tractabantur (exercendi adolescentes gratia) in vtramque partem facta: & eo ingenio, sagacitate, & industria, vt verè post auditum vtrumque declamatorem, penderent Auditores, incerti cui addiudicarent causam. Varijs figuris induatur narratio, de qua hic est sermo: quod à nostro Magistro significatur sub vocabulis querimoniæ, iræ, dissimulationis &c. Neque Oratori sic narrare desideranti aliud exemplar malim proponi, quàm id, quod quotidiè accidit in priuatis negotijs, immò in ipsis familijs. Quotiescunque enim aliquis erroris alicuius insimulatur, ille qui insimulat, beneficio ingenij à Dialectica naturali excitati, profert quæ factum aggrauant. Qui verò se tuetur, factum idem sub alijs circumstantijs ennunciat, à quibus culpæ multum detrahitur. Legatur Narrationes, & conciones Poeticæ, in quibus hæc præcepta emicant, si boni Poetæ sunt.

XXVII.

Ordinis in primis esto non vltima cura,
Temporibusque suis prudens distinguito cuncta:
Quid primum, quid sit medium, quoque ordine tandem
Res fuerint gestæ ostendat; nam plurima lucis
Incrementa parant Series, & Tempora rebus

Di-

Dicendis; tantum & fidei versatur, vt olim
Commenta humani ingenij, meditataque rerum
Fabula, & à doctis verba ementita poetis
Ordine narrandi, ac serie disposta recenti,
Et species veri magnas, laudemque pararint,
Atque fidem; tantum series, iuncturaque, & ordo
Dissimulant falsi; tantum mens nostra docendo
Afficitur certo diductis ordine rebus.

ADNOTATIO.

QVæret aliquis, qua de causa res ordine illo narratæ, quem commendat Arias, faciant maximè sibi fidem? Respondeo id nasci, quià Auditor nescit sibi persuadere tot circumstantias posse fingi. Poetæ narrantes id quod nunquam fuit, toti sunt vt minutissimis illud adiunctis amiciant. Secuti naturam, quæ singulis rebus proprias, & sine numero dotes adiungit, ex quibus fiunt illæ quæ sunt, non aliæ. Quod animaduertentes acuti Quæsitores alienorum criminum, ad mille descendunt interrogando adiuncta: benè gnari, si interrogatus in aliquo se implicet, facilè etiam in alijs se irretiturum.

XXVIII.

Hoc igitur studio dicas, vt tempora cuncta
Obserues, ac proponas, numeresque loquendo
Cuique suum, quo gesta patent: Nam rebus in ipsis
Vt nihil absque suo fit tempore, sic narratur,
Nil bene temporibus turbatis, ordinibusque.
Hoc agit historiæ scriptor, sed Concio tota
Atque etiam Iudex audit quicunque profantes
Poscit idem iam Oratores; sed turba loquentum,
Et pueri, & vetulæ indoctæ, & quicunque pararit
Dicere quid, facilesque aures narrando petiuit,
Natura stimulante solent distinguere rerum
Momenta, atque pari coniungere tempora ductu
Cum rebus, partemque simul componere vtramque.

ADNOTATIO.

COnfirmat documenta spectantia ad ordinem seruandum ab Oratore dum aliquid narrat, dicendo illius tantam esse cu-

ram Historiarum Scriptori: & addendo, Concioni, Iudicibus; immò pueris, vetulisque ipsis illum placere. Adeoque Ordo seruandus in Narratione præcipitur ab ipsa Natura potius quàm à Magistris dicendi. Nisi quod boni Præceptores docent id, quod ab obseruata in suis rebus natura didicerunt: & illa communicant alijs, qui hæc non obseruauerunt.

XXIX.

Libera sed Vatum mens est, nec legibus illa
Paruerit semper nostris, namque altiùs audent
Transferri quocunque animum Sacra Musa vocarit,
Ducuntur stimulante Deo, & transcendere limen
Sæpè solent, nec Natura, nec iam ordine sese
Includunt: Medias interdum Spiritus in res
Arripitur subito, atque mouet penetralia cantu
Intima, & incipiens, ex gestis vltima tractat,
Vnde in principium rursus diuertitur, atque
Ordinis oblitus, rem complet, primaque sæpè
Fundamenta notat, nunc velox peruolat vsque
In medium, texitque suam narrando Camenam.

ADNOTATIO.

MOre illorum, qui præcepta versibus includunt, diuertit ad aliud, aliquo modo ad suum conducens propositum. Quare cum Oratorem instituat vt benè narret, & supra commemorauerit Poetas item narrantes; nunc ostendit discrimen quod intercedit inter Poetam, atque Oratorem, immò etiam Historicum. Versatur in hoc præcipuè: quià Poeta cum profiteatur se afflari oestro Apullineo, sæpiùs ab illo abripitur, adeòque non sequitur ordinem rerum; sed interdum ab vltimis, interdum à medijs incipit. Hoc tradit Horatius in sua poetica: hoc præstant Epici, & Drammatici; tum quià nolunt esse Oratores, nolunt esse historici; tum quià perturbatio ordinis naturalis sæpè conducit ad præcipuum, quem sibi vnusquisque præscribit in suo poemate finem. Certè ordo perturbatus frequenter breuitati consulit: & semper nouitati. Auditor enim Drammatis, & Lector Epopeiæ numquam sciunt quid sit euenturum; adeòque suspenduntur, neque totam fabulam (siue actionem) complectuntur, nisi audito illius fine. Hanc viam si narrando iniret Orator, peccaret: neque enim ipsius est velle

id

a quod vult Poeta: cum numquam Orator profiteatur se abripi ab oestro, siue furore, sed regi à Veritate.

XXX.

Non tamen imprudenti animo peruertere totam
Adspicis historiam: Seriem quandòque canendo
Negligit; ast tempus certum quo cuncta gerantur
Obseruat, redditque docens: Vt Numina Diuum,
Quæ quamuis nullis momentis subdita, nullis
Temporibus subiecta, tamen quæcunque ministrant,
Quæ generi donant hominum per tempora certa
Dispofuere: illis præsentia cuncta beatis,
Paulatim nobis donantur prò modulo, prò
Exiguæ mentis captu, pròque ordine rerum.
Id verò numquam Narratio negligit, Immò
Obseruare solent, & semper tradere, siue
Orator, seù gestorum, rerumuè probatus
Scriptor, & historiæ addictus, liberuè Poeta.
Scilicet vt ratio ipsa locorum reddita constet
Depicta in proprijs spatijs, seriemque secuta,
Quam tenuere rei momenta, quamque viarum
Aut iter, aut ordo gestorum elegerat ipse:
Siue per immensum pelagus, scopulosque sonantes
Res fuerint gestæ, aut per terram, flumina fingunt,
Vel fluuios, syluas, fontes, puteosque perennes:
Nil variare decet, sed cuncta in sede locare,
Quam dederit Natura parens.

ADNOTATIO.

NE lector decipiatur ab illis, quæ Arias dixit de ordine perturbato sequuntur dum aliquid narrant Poetæ, subtiliter explicat, à Poetis ità perturbari ordinem, vt tamen, neque ab historia (seruantissima temporis) omninò discedant, neque vmquam tempora varient. Deinde addit à Poetis obseruari loca in quibus contigit id quod narrant. Ex quibus id tandem elicit, Oratori esse curam habendam temporum, quibus id quod exponunt in concione, euenerit.

XXXI.

XXXI.

—— Res nulla probare
Tam solet historias, nec conciliare fauorem
Atque fidem, quàm certa loci pictura, modusque:
Nec subitò Pelagus totum transcurrere debet
Historicus, nec multa vna praeteruolat hora
Millia terrarum, atque via: neque in aethere pingit
Venantes catulos, aprumuè, aut lustra ferarum;
Nec pisces alit in terris, vitulosque marinos
Montibus aerijs transmittit: pascua laeta
Non petat in rupe, sterili neque quaerat arena.
Nemo haec (ni portenta canat, viresque Deorum,
Mutatasque vices rerum, signa edita Caelo
Humanum ductura genus) peruertere debet.
Nemo, inquam, Ratio cui contigit, vllauè sani
Portio Iudicij. Nam quae per nostra frequenter
Regna libri eduntur, veteres, referentia scripta
Errantes equites, Orlandum Splandina Graecum,
Palmerinumque Duces, & caetera, monstra vocamus,
Et stupidi ingenij partus, faecemque librorum
Collectas sordes in labem temporis, & quae
Nil melius tractent, hominum quàm perdere mores.
Temporis hic ordo nullus, non vlla locorum
Seruatur Ratio, nec si quid fortè legendo
Vel credi possit, vel delectare, nisi ipsa
Te turpis vitijs species, & faeda voluptas
Delectat, moresque truces, & vulnera nullis
Hostibus inflicta, at stolidè conficta, leguntur.

ADNOTATIO.

Adhuc persistit in digressione inchoata, quam tamen vtilem reddit. Docet enim à bonis Historicis seruari veritatem locorum; neque arbitrariè, aut fingi, aut variari. Arripit deinde occasionem vituperandi Scriptores rerum omninò falsarum, & portentosarum: qui *Romancieri* italitè dicuntur. Horum mens in hoc vnum collimat (ait Arias, damnatque) vt lectorem fallant, & dulci veneno per voluptatem propinato ad vitia trahant, vitijsque contaminent, & mores illius perdant. Discat Lector, praecipuè Adolescens ab hac peste librorum oculos

›s auertere; vel noui sint, vel antiqui. Multæ enim ætate s non autem solum nostra) his abundant in contumeliam humaæ naturæ, inquinamentis.

XXXII.

'rgò loci Ratio, & nomen, speciesque, situsque
bseruanda tibi, memorique in mente tenenda;
t spatium, & Natura etiam, terræque, marisque,
t quadrent rebus narrata, ostensaue factis.
Hic ego non dubitem multum laudare docendi
'artem illam, quam prisci homines, intentaque famæ
'ectora liquerunt scriptis: dum singula lustrant
mmensæ terræ spatia, & dum flumina tranant,
)um pelagique vias vestigant, stagnaque, portus;
)uidquid & in toto norunt memorabile mundo
)epingunt; formasque breues, facilemque figuram
'rbis, & in partes disponunt, Vt tibi tandem
Ion sit opus peragrare maris, terræue iacentis
)ifficiles nimium cursus, sed iam pede sicco,
amque Domi residens, patriaque intentus amatæ
'mnia perspicias lætus loca, quæ-tibi-cunque
'int audita semel; siue illa illustria gestis
nduperatorum, monumentaque prisca reseruent;
'iue locis genium fuerit mirabile raris
)stensis; seù quid teneant, quod fama frequentet.
Iec visus mihi formam hominis, nomenque tueri
)uisquis inexpertus pelagi, nulloque labore,
'ed facili studio cognoscere negligit orbis
Mirandam speciem, partes, formasque, situsque.
Iamque hominis natura olim formata probatur
'n Pelagi, & terræ imperium, totusque per æuum
Mundus erat sedes nostra, atque armenta, feræque,
:t volucres, & monstra Maris quæcunque sub vndis
Ieptunus pascit, Triton, Protheusque recensent
Iostra olim fuerant, nobis sunt edita cuncta.
Quod si hominum crimen, si læsi Numinis iræ
Tantarum imperium rerum, fructusque vetabant,
'nterdicta tamen non est vel notio nostris
Mentibus; at potius sit commendata videndi
:opia, vel saltem noscendi: vt scilicet ipsum
:unctarum Auctorem rerum miremur, vt altè

Cri-

Crimina iam dulces nobis prodentia fructus
Detestati, ipsas flectamus Numinis iras,
Et meliora etiam, maioraque dona petamus.

ADNOTATIO.

GEographiam laudat, eiusque Magistros, in eum finem, vt Orator ab hac facultate discat cognoscere loca, & regiones, & alia, quæ ad eorum notitiam attinent: ne, data occasione illorum commemorandorum in suis narrationibus, erret. Cicero quantus est etiam in hac parte! Quantus Virgilius!

XXXIII.

Hoc satis ad causas narrandas credimus esse,
Vt breuis, & distincta suis vt temporibus sit,
Atque locis: vt causa etiam narratio rerum,
Partibus his constans tibi quas prodesse putaris.

ADNOTATIO.

DEscendit à digressionibus, quæ hactenus explicatæ fuerunt, ad narrationem Oratoriam, cuius causa diuertere voluit, licèt vtiliter. Alias conditiones, siue potiùs dotes narrationis Oratoriæ recenset, quæ satis claræ sunt, neque egent expositione.

XXXIV.

Hæc tamen haud tarò fuerit dicentibus olim
Prætermissa: etenim cum res iam constet, & omni
Indice semoto se se præferre videndam
Possit, inexperti fuerit consumere tantum
Temporis, vt tandem iam Auditor discat: id ante
Constiterat melius, namque ipsi vidimus, atque
Adfuimus: Fuerit quare prudentia sæpe
Narrandi studio, cassoque vacare labori.

ADNOTATIO.

MOnemur sæpe necessariam non esse Narrationem in Oratione. Certè quotiescunque, aut res, aut factum nota sunt,

sunt, esset superfluum narrare id, quod scitur sine nostra narratione. Adde sæpè fieri posse non pendere à Narratione Orationem nostram.

XXXV.

Ast neglecta fuit numquam pars illa loquendi,
Quæ totum concludit opus, quæ FINIS agendi est,
Inque vnam hanc omnem, ac studium, curæque parantur,
Cuique orantis opes cunctæ seruire iubentur.
PROPOSITVM dicta est Logicis, pars scilicet illa,
Quam sibi proposuit dicendo quisque probare,
Siue breui, aut tenui dicat molimine solum
Contracto sermone vsus, viresque secutus
Dicendi, & veri neruos, & pondera quærens,
Qualem dicendi obseruant Gymnasia formam:
Siue etiam maiore sono popularia tractet
Munera, perque forum, per templa, & pulpita laiè
Exercere velit multis certamina verbis,
Affectusque paret, vel vulgi pectora tentet:
Quidquid agat, quocunque modo quis dixerit, & qua
Arte quibus-verbis-cumque, & quocunque tenore
Propositum in primis ostendit, propositumque
Collocat, obque ipsum certat; nam FINIS agendi
Ipsum illud firmare fuit, dictisque probare.
Hoc parat, hùc tendit; nam qui proponere dictis
Neglexit certum votum, finemque petendum,
Non minus insanit, quàm si vndique comparet omnem
Materiem, atque trabes, cęmenta, & maxima saxa,
Æs chalyben, fabros, & marmora; nesciat autem
Quàm molem sibi describat, quæ mœnia plantet,
Ædificetnè Domum, vel Turrim, Pyramidemue.

ADNOTATIO.

Agit Auctor noster de Propositione, quæ statui debet ab Oratore tamquam finis Orationis vltimus. Hæc numquam omittitur, non solum ab Oratoribus, sed neque à Philosophis, à Poetis, ab Historicis. Quicunque enim vult audiri, si dicit, aut legi, si scribit, eum oportet significare de qua re dicturus sit, de qua scripturus. Scriptores id exequuntur in ipso suorum librorum titulo: quod etiam Poetæ obseruant.

XXXVI.

XXXVI.

Ergò tibi proponendum sit semper, & vnum,
Seù tu multa petas votum perducere ad illud
Quod cupis in primis expleri; Hoc propositum sit,
Cum factum, infectumque paras ostendere quicquam,
Cum vè optas fieri, cum ve aduersaris agendum:
Quidquid aues tandem vel confirmare, negasuè,
Vel suadere paras, vel dissuadere, vocamus
PROPOSITVM prima in facie Sermonis, idemque
Cum confirmatum fuerit, CONCLVSIO dicta est.

ADNOTATIO.

IN quocunque genere futura sit Oratio, Demonstratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali, semper statuenda est Propositio: & quidem in principio (hoc est post Exordium) Sermonis. Est enim propositio, veluti Scopus, ad quem diriguntur cætera, quæ ab Oratore sunt afferenda. Hæc propositio antequam proponatur dicitur QVÆSTIO: dum proponitur probanda dicitur PROPOSITVM: postquam rationibus fuit confirmata, appellatur CONCLVSIO. Quærimus enim an Milo insidiatus fuerit Clodio: deinde probamus illi non fuisse insidiatum: tandemque concludimus id, quod probandum assumpsimus.

XXXVII.

Cura etiam dum proponunt fuit illa Patronis
Non ingrata vnquam, sed maxima commoda semper
Promittens; si quam causam, & quæcunque pararent
Dicere, dispositis monstrarent partibus, ac sic
Quiduè tacere velint, vel si quid tractare profari:
Consulerentque simul causæ, totique coronæ.
Plurimum enim intererit, seù tu turbata relinquas,
Et cæco confusa modo, seù singula prudens
Disponas quæcunque tibi dicenda parantur.

ADNOTATIO.

DOcet Auctor, multorum exemplis adhærens, Partitionem esse vsurpandam. Eius munus est proponere, & breuiter

uiter

uiter indicare capita, quæ ſunt in Oratione tractanda. Quod Cicero frequenter facit, adductus illis rationibus, quas Arias hic recenſet. Definitur à Quintiliano lib. 4. cap. 5. in hæc verba: Partitio eſt noſtrarum, aut aduerſarij propoſitionum, aut vtrarumque collata ennumeratio. Deinde ait, controuerſiam eſſe apud Magiſtros dicendi, an illa ſenſit adhibenda, an relinquenda. Eius verba ſunt hæc: Quidam vtendum ſemper putant; quòd, & eat fiat cauſa lucidior, & Iudex intentior, ac docilior, ſi ſcierit, & de quo dicimus, & de quo dicturi poſteà ſumus. Rurſum quidam periculoſum id Oratori arbitrantur.

XXXVIII.

Hoc meus in Templis nollem deſideret vnquam
Auditor; ſed cum nos de pietate colenda,
De Superum domis dicentes audiet, antè
Præuideat quàm multa ſibi, quàm commoda rerum
Tractentur; ſi verba tamen non ſingula mente,
At capita, & partes ſaltem, certaſque figuras
Concineat, ſecumque ferat, tacituſque reuoluat.
Non omnes Villega tuum qui nomen, & artem
Mirantur, quandò magni Sacraria Templi
Ingreſſi Sacrum proſpectant fornice læuo
Munus, & erectas in cultum Virginis aras,
Et Templi effigies, quas Dorica ſuſtinet Ancon,
Singula non omnes operis perpendere norunt
Momenta, & partes cunctas, connexaque membra
Artis, & in minimis nunquam fallentia rebus,
Naturæque parem curam, ſimilemque decorem.
Attamen in Superos pietas concepta, tuique
Et ſtudium, & laudes ſpectantum in fronte leguntur;
Quandoquidem cuiuis facile eſt cognoſcere viuum
Virginis os, puerique ſacri ſalientia membra;
Ipſum prætereà Diuini infantis alumnum
Felici puerum gaudentem ducere dextra,
Cæteraque exiguo in ſpatio concluſa, quibus iam
Iam manus inuideat Paphijs celebrata tabellis.

ADNOTATIO.

COmmendatur Præconibus Verbi Diuini vſus partitionis, eo præſertim ex capite, quod illa iuuari poſſunt Auditores

res

res vt memoria teneant Oratoris sacri documenta. Deinde (de more) accipit occasionem diuertendi (sed cum opportunitate) ad laudes amici sui Villegæ; describitque sacellum Diuinæ parenti sacrum: vtiturque his omnibus (veluti similitudine) ad illustranda, quæ docuit de Partitione.

XXXIX.

Illud in hoc genere & cupio te discere Lector,
Quod breuiter lucem admoueat, ducatque parantem
Partiri, & gratis ostendat partibus vti.
Omnis cura tibi cum vis partire, laborque
Sit primùm statuisse modos, momentaque causæ
Quæque tibi in primis fuerint communia, & hosti,
Quæque vltrò concessa velis, nec tendere contrà
Conteris, cum sint cunctis manifesta, nec illa
Posse negare datur, vel nil concessa nocebunt.
Hæc primum statuas breuiter, breuiterque remittas,
Vt facilè hæc donare feras, permittere & hosti.
Prima igitur pars hæc dicta est Seiunctio, cuius
Officium, causa admissas seponere partes.

ADNOTATIO.

VT manuducat Oratorem in ijs quæ conducunt ad bonam partitionem, monet Auctor noster, curandum esse, vt secernamus ea, quæ aduersarius admittit, nobisque concedit. Proderit maximè vsus huius præcepti, vt breuitati consulamus. Cur enim velimus insudare vt ab inimico extorqueamus id quod vltrò concedit? Quæ doctrina vtilis est non modò in Causis forensibus, sed etiam in alijs, quæ finguntur institui ad similitudinem cuiusdam fori. Id contingit in Sacris Orationibus, quæ habentur ad populum. Orator Virtutis causam agens, cum auditores hortatur ad illam amplectendam, habet sibi aduersantes illos, qui vitijs dediti sunt. Proinde Euangelicus Orator secernat ea, quæ concedunt vel ipsi amatores vitiorum, neque terat inutiliter tempus illa demonstrando. Audiui quosdam diù immorantes vt ostenderent Omnibus esse moriendum. Quorsum hæc probatio? Quis veritati tam manifestæ contradicit? Maneat igitur valdè fauere Partitioni Seiunctionem; fauet enim breuitati, adeòque ad ipsam compendiosiùs peruenimus Partitionem: fauet etiam claritati; seiunctis enim, ne-

que

que probatis his, quæ Aduersarius admittit, limpidius effulgebit partitio nostra, à qua inutilem aliarum rerum demonstrationem, tamquam velum quoddam obscuritatem facturum, remouerimus.

X L.

Altera cura tibi sit, quas vis ipse tueri
Exposuisse prius partes, breuiterque tulisse,
Et numerasse etiam: Docilis sic namque paratur
Auditor, facilèque tenet molimina causæ
Hæc mihi posterior pars, est Diuisio dicta.

A D N O T A T I O.

AD Diuisionem transit, quæ in eo occupatur, vt partes exponat, & numeret, de quibus est verba facturus Orator. Quod euidentissimè apparet in Oratione quam habuit Tullius prò lege Manilia, vbi ennumerauit dotes, quibus oportebat illum esse præditum, qui eligendus erat in Imperatorem contrà Mithridatem.

X L I.

Vt, si concedat mortem genitricis Orestes,
Sed neget esse scelus, promittens acta Parentis
Dicturum sese; thalami violata iugalis
Iura, & adulterium, Patris & crudelia fata,
Atque nefas legem sociam prodentis amici.

A D N O T A T I O.

CElebris apud antiquos erat causa Orestæ, qui Matrem occidit Clitemnestram. Arias eam hic commemorat; vt ex illa elucidetur id, quod paulò antè docuerat. Igitur, qui perorabat contrà Orestem, nihil dicebat de morte illata Clitemnestræ: id enim concedebat Orestes, immò profitebatur. Quin etiam dicebat nullum à se fuisse commissum crimen; sustulerat enim de medio Matrem, vt vlcisceretur iniurias Agamemnoni Patri à Clitemnestra irrogatas. Quarè longè aliud fuit agendum illi Oratori, qui oppugnabat Orestem.

res vt memoria teneant Oratoris sacri documenta. Deinde (de more) accipit occasionem diuertendi (sed cum opportunitate) ad laudes amici sui Villegæ; describitque sacellum Diuinæ parenti sacrum: vtiturque his omnibus (veluti similitudine) ad illustranda, quæ docuit de Partitione.

XXXIX.

Illud in hoc genere & cupio te discere Lector,
Quod breuiter lucem admoueat, ducatque parantem
Partiri, & gratis ostendat partibus vti.
Omnis cura tibi cum vis partire, laborque
Sit primùm statuisse modos, momentaque causæ
Quæque tibi in primis fuerint communia, & hosti,
Quæque vltrò concessa velis, nec tendere contrà
Coneris, cum sint cunctis manifesta; nec illa
Posse negare datur, vel nil concessa nocebunt.
Hæc primum statuas breuiter, breuiterque remittas,
Vt facilè hæc donare feras, permittere & hosti.
Prima igitur pars hæc dicta est Seiunctio, cuius
Officium, causæ admissas seponere partes.

ADNOTATIO.

VT manuducat Oratorem in ijs quæ conducunt ad bonam partitionem, monet Auctor noster, curandum esse, vt secernamus ea, quæ aduersarius admittit, nobisque concedit. Proderit maximè vsus huius præcepti, vt breuitati consulamus. Cur enim velimus insudare vt ab inimico extorqueamus id quod vltrò concedit? Quæ doctrina vtilis est non modò in Causis forensibus, sed etiam in alijs, quæ finguntur institui ad similitudinem cuiusdam fori. Id contingit in Sacris Orationibus, quæ habentur ad populum. Orator Virtutis causam agens, cum auditores hortatur ad illam amplectendam, habet sibi aduersantes illos, qui vitijs dediti sunt. Proinde Euangelicus Orator secernat ea, quæ concedunt vel ipsi amatores vitiorum, neque terat inutiliter tempus illa demonstrando. Audiui quosdam diù immorantes vt ostenderent Omnibus esse moriendum. ...sum hæc probatio? Quis veritati tam manifestæ contradi-...neat igitur valdè fauere Partitioni Seiunctionem; fa-...breuitati, adeòque ad ipsam compendiosiùs peruenitionem: fauet etiam claritati; seiunctis enim, neque

que probatis his, quæ Aduersarius admittit, limpidius effulgebit partitio nostra, à qua inutilem aliarum rerum demonstrationem, tamquam velum quoddam obscuritatem facturum, remouerimus.

X L.

Altera cura tibi sit, quas vis ipse tueri
Exposuisse prius partes, breuiterque tulisse,
Et numerasse etiam: Docilis sic namque paratur
Auditor, facilèque tenet molimina causæ
Hæc mihi posterior pars, est Diuisio dicta.

A D N O T A T I O.

AD Diuisionem transit, quæ in eo occupatur, vt partes exponat, & numeret, de quibus est verba facturus Orator. Quod euidentissimè apparet in Oratione quam habuit Tullius pro lege Manilia, vbi ennumerauit dotes, quibus oportebat illum esse præditum, qui eligendus erat in Imperatorem contrà Mithridatem.

X L I.

Vt, si concedat mortem genitricis Orestes,
Sed neget esse scelus, promittens acta Parentis
Dicturum sese; thalami violata iugalis
Iura, & adulterium, Patris & crudelia fata,
Atque nefas legem sociam prodentis amici.

A D N O T A T I O.

CElebris apud antiquos erat causa Orestæ, qui Matrem occidit Clitemnestram. Arias eam hic commemorat; vt ex illa elucidetur id, quod paulò antè docuerat. Igitur, qui perorabat contrà Orestem, nihil dicebat de morte illata Clitemnestræ: id enim cencedebat Orestes, immò profitebatur. Quin etiam dicebat nullum à se fuisse commissum crimen; sustulerat enim de medio Matrem, vt vlcisceretur iniurias Agamemnoni Patri à Clitemnestra irrogatas. Quarè longè aliud fuit agendum illi Oratori, qui oppugnabat Orestem.

I XLII.

XXXI.

—— Res nulla probare
Tam solet historias, nec conciliare fauorem
Atque fidem, quàm certa loci pictura, modusque:
Nec subitò Pelagus totum transcurrere debet
Historicus, nec multa vna prateruolat hora
Millia terrarum, atque via: neque in æthere pingit
Venantes catulos, aprumuè, aut lustra ferarum;
Nec pisces alit in terris, vitulosque marinos
Montibus aerijs transmittit: pascua læta
Non petat in rupe, sterili neque quærat arena.
Nemo hæc (ni portenta canat, viresque Deorum,
Mutatasque vices rerum, signa edita Cœlo
Humanum ductura genus) peruertere debet.
Nemo, inquam, Ratio cui contigit, vllauè sani
Portio Iudicij. Nam quæ per nostra frequenter
Regna libri eduntur, veteres, referentia scripta
Errantes equites, Orlandum Splandina Græcum,
Palmerinumque Duces, & cætera, monstra vocamus,
Et stupidi ingenij partus, fæcemque librorum
Collectas sordes in labem temporis, & quæ
Nil melius tractent, hominum quàm perdere mores.
Temporis hic ordo nullus, non vlla locorum
Seruatur Ratio, nec si quid fortè legendo
Vel credi possit, vel delectare, nisi ipsa
Te turpis vitijs species, & fœda voluptas
Delectat, moresque truces, & vulnera nullis
Hostibus inflicta, at stolidè conficta, leguntur.

ADNOTATIO.

ADhuc persistit in digressione inchoata, quam tamen vtilem reddit. Docet enim à bonis Historicis seruari veritatem locorum; neque arbitrariè, aut fingi, aut variari. Arripit deinde occasionem vituperandi Scriptores rerum omninò falsarum, & portentosarum: qui *Romancieri* italitè dicuntur. Horum mens in hoc vnum collimat (ait Arias, damnatque) vt lectorem fallant, & dulci veneno per voluptatem propinato ad vitia trahant, vitijsque contaminent, & mores illius perdant. Discat Lector, præcipuè Adolescens ab hac peste librorum oculos

los auertere; vel noui ſint, vel antiqui. Multæ enim ætates (non autem ſolum noſtra) his abundant in contumeliam humanæ naturæ, inquinamentis.

XXXII.

Ergò loci Ratio, & nomen, ſpecieſque, ſituſque
Obſeruanda tibi, memorique in mente tenenda;
Et ſpatium, & Natura etiam, terræque, mariſque,
Vt quadrent rebus narrata, oſtenſaue factis.
Hìc ego non dubitem multum laudare docendi
Partem illam, quam priſci homines, intentaque famæ
Pectora liquerunt ſcriptis: dum ſingula luſtrant
Immenſæ terræ ſpatia, & dum flumina tranant,
Dum pelagique vias veſtigant, ſtagnaque, portus;
Quidquid & in toto norunt memorabile mundo
Depingunt; formaſque breues, facilemque figuram
Orbis, & in partes diſponunt, Vt tibi tandem
Non ſit opus peragrare maris, terræue iacentis
Difficiles nimium curſus, ſed iam pede ſicco,
Iamque Domi reſidens, patriæque intentus amatæ
Omnia perſpicias lætus loca, quæ-tibi-cunque
Sint audita ſemel; ſiue illa illuſtria geſtis
Induperatorum, monumentaque priſca reſeruent;
Siue locis genium fuerit mirabile raris
Oſtenſis; ſeù quid teneant, quod fama frequentet.
Nec viſus mihi formam hominis, nomenque tueri
Quiſquis inexpertus pelagi, nulloque labore,
Sed facili ſtudio cognoſcere negligit orbis
Mirandam ſpeciem, partes, formaſque, ſituſque.
Namque hominis natura olim formata probatur
In Pelagi, & terræ imperium, totuſque per æuum
Mundus erat ſedes noſtra, atque armenta, feræque,
Et volucres, & monſtra Maris quæcunque ſub vndis
Neptunus paſcit, Triton, Protheuſque recenſent
Noſtra olim fuerant, nobis ſunt edita cuncta.
Quod ſi hominum crimen, ſi læſi Numinis iræ
Tantarum imperium rerum, fructuſque vetabant,
Interdicta tamen non eſt vel notio noſtris
Mentibus; at potius ſit commendata videndi
Copia, vel ſaltem noſcendi: vt ſcilicet ipſum
Cunctarum Auctorem rerum miremur, vt altè

Cri-

Crimina iam dulces nobis prodentia fructus
Detestati, ipsas flectamus Numinis iras,
Et meliora etiam, maioraque dona petamus.

ADNOTATIO.

GEographiam laudat, eiusque Magistros, in eum finem, vt Orator ab hac facultate discat cognoscere loca, & regiones, & alia, quæ ad eorum notitiam attinent: ne, data occasione illorum commemorandorum in suis narrationibus, erret. Cicero quantus est etiam in hac parte! Quantus Virgilius!

XXXIII.

Hoc satis ad causas narrandas credimus esse,
Vt breuis, & distincta suis vt temporibus sit,
Atque locis: vt causa etiam narratio rerum,
Partibus his constans tibi quas prodesse putaris.

ADNOTATIO.

DEscendit à digressionibus, quæ hactenus explicatæ fuerunt, ad narrationem Oratoriam, cuius causa diuertere voluit, licèt vtiliter. Alias conditiones, siue potiùs dotes narrationis Oratoriæ recenset, quæ satis claræ sunt, neque egent expositione.

XXXIV.

Hæc tamen haud tarò fuerit dicentibus olim
Prætermissa: etenim cum res iam constet, & omni
Indice semoto se se præferre videndam
Possit, inexperti fuerit consumere tantum
Temporis, vt tandem iam Auditor discat; id ante
Constiterat melius, namque ipsi vidimus, atque
Adfuimus: Fuerit quare prudentia sæpe
Narrandi studio, cassoque vacare labori.

ADNOTATIO.

MOnemur sæpe necessariam non esse Narrationem in Oratione. Certè quotiescunque, aut res, aut factum nota

sunt,

ſunt, eſſet ſuperfluum narrare id, quod ſcitur ſine noſtra narratione. Adde ſæpè fieri poſſe non pendere à Narratione Orationem noſtram.

XXXV.

Aſt neglecta fuit numquam pars illa loquendi,
Quæ totum concludit opus, quæ FINIS *agendi eſt,*
Inque vnam hanc omnem, ac ſtudium, curæque parantur,
Cuique orantis opes cunctæ ſeruire iubentur.
PROPOSITVM dicta eſt Logicis, pars ſcilicet illa,
Quam ſibi propoſuit dicendo quiſque probare,
Siue breui, aut tenui dicat molimine ſolum
Contracto ſermone vſus, vireſque ſecutus
Dicendi, & veri neruos, & pondera quærens,
Qualem dicendi obſeruant Gymnaſia formam:
Siue etiam maiore ſono popularia tractet
Munera, perque forum, per templa, & pulpita latè
Exercere velit multis certamina verbis,
Affectuſque paret, vel vulgi pectora tentet:
Quidquid agat, quocunque modo quis dixerit, & qua
Arte quibus-verbis-cumque, & quocunque tenore
Propoſitum in primis oſtendit, propoſitumque
Collocat, obque ipſum certat; nam FINIS *agendi*
Ipſum illud firmare fuit, dictiſque probare.
Hoc parat, hùc tendit; nam qui proponere dictis
Neglexit certum votum, finemque petendum,
Non minus inſanit, quàm ſi vndique comparet omnem
Materiem, atque trabes, cęmenta, & maxima ſaxa,
Æs chalyben, fabros, & marmora; neſciat autem
Quàm molem ſibi deſcribat, quæ mœnia plantet,
Ædificetnè Domum, vel Turrim, Pyramidemue.

ADNOTATIO.

Agit Auctor noſter de Propoſitione, quæ ſtatui debet ab Oratore tamquam finis Orationis vltimus. Hæc numquam omittitur, non ſolum ab Oratoribus, ſed neque à Philoſophis, à Poetis, ab Hiſtoricis. Quicunque enim vult audiri, ſi dicit, aut legi, ſi ſcribit, eum oportet ſignificare de qua re dicturus ſit, de qua ſcripturus. Scriptores id exequuntur in ipſo ſuorum librorum titulo: quod etiam Poetæ obſeruant.

XXXVI.

XXXVI.

Ergò tibi proponendum sit semper, & vnum,
Seù tu multa petas votum perducere ad illud
Quod cupis in primis expleri; Hoc propositum sit,
Cum factum, infectumque paras ostendere quicquam,
Cum vè optas fieri, cum ve aduersaris agendum:
Quidquid aues tandem vel confirmare, negasuè,
Vel suadere paras, vel dissuadere, vocamus
PROPOSITVM prima in facie Sermonis, idemque
Cum confirmatum fuerit, CONCLVSIO dicta est.

ADNOTATIO.

IN quocunque genere futura sit Oratio, Demonstratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali, semper statuenda est Propositio: & quidem in principio (hoc est post Exordium) Sermonis. Est enim propositio, veluti Scopus, ad quem diriguntur cætera, quæ ab Oratore sunt afferenda. Hæc propositio antequam proponatur dicitur QVÆSTIO: dum proponitur probanda dicitur PROPOSITVM: postquam rationibus fuit confirmata, appellatur CONCLVSIO. Quærimus enim an Milo insidiatus fuerit Clodio: deinde probamus illi non fuisse insidiatum: tandemque concludimus id, quod probandum assumpsimus.

XXXVII.

Cura etiam dum proponunt fuit illa Patronis
Non ingrata vnquam, sed maxima commoda semper
Promittens; si quam causam, & quæcunque pararent
Dicere, dispositis monstrarent partibus, ac sic
Quiduè tacere velint, vel si quid tractare profari:
Consulerentque simul causæ, totique coronæ.
Plurimum enim intererit, seù tu turbata relinquas,
Et cæco confusa modo, seù singula prudens
Disponas quæcunque tibi dicenda parantur.

ADNOTATIO.

DOcet Auctor, multorum exemplis adhærens, Partitionem esse vsurpandam. Eius munus est proponere, & breuiter

uiter indicare capita, quæ ſunt in Oratione tractanda. Quod Cicero frequenter facit, adductus illis rationibus, quas Arias hic recenſet. Definitur à Quintiliano lib. 4. cap. 5. in hæc verba: Partitio eſt noſtrarum, aut aduerſarij propoſitionum, aut vtrarumque collata ennumeratio. Deinde ait, controuerſiam eſſe apud Magiſtros dicendi, an illa ſenſit adhibenda, an relinquenda. Eius verba ſunt hæc: Quidam vtendum ſemper putant; quòd, & eat fiat cauſa lucidior, & Iudex intentior, ac docilior, ſi ſcierit, & de quo dicimus, & de quo dicturi poſteà ſumus. Rurſum quidam periculoſum id Oratori arbitrantur.

XXXVIII.

Hoc meus in Templis nollem deſideret vnquam
Auditor; ſed cum nos de pietate colenda,
De Superum domis dicentes audiet, antè
Præuideat quàm multa ſibi, quàm commoda rerum
Tractentur; ſi verba tamen non ſingula mente,
At capita, & partes ſaltem, certaſque figuras
Concineat, ſecumque ferat, tacituſque reuoluat.
Non omnes Villega tuum qui nomen, & artem
Mirantur, quandò magni Sacraria Templi
Ingreſſi Sacrum proſpectant fornice læuo
Munus, & erectas in cultum Virginis aras,
Et Templi effigies, quas Dorica ſuſtinet Ancon,
Singula non omnes operis perpendere norunt
Momenta, & partes cunctas, connexaque membra
Artis, & in minimis nunquam fallentia rebus,
Naturæque parem curam, ſimilemque decorem.
Attamen in Superos pietas concepta, tuique
Et ſtudium, & laudes ſpectantum in fronte leguntur;
Quandoquidem cuiuis facile eſt cognoſcere viuum
Virginis os, puerique ſacri ſalientia membra;
Ipſum prætereà Diuini infantis alumnum
Felici puerum gaudentem ducere dextra,
Cæteraque exiguo in ſpatio concluſa, quibus iam
Iam manus inuideat Paphijs celebrata tabellis.

ADNOTATIO.

COmmendatur Præconibus Verbi Diuini vſus partitionis, eo præſertim ex capite, quod illa iuuari poſſunt Auditores

res vt memoria teneant Oratoris sacri documenta. Deinde (de more) accipit occasionem diuertendi (sed cum opportunitate) ad laudes amici sui Villegæ; describitque sacellum Diuinæ parenti sacrum: vtiturque his omnibus (veluti similitudine) ad illustranda, quæ docuit de Partitione.

XXXIX.

Illud in hoc genere & cupio te discere Lector,
Quod breuiter lucem admoueat, ducatque parantem
Partiri, & gratis ostendat partibus vti.
Omnis cura tibi cum vis partire, laborque
Sit primùm statuisse modos, momentaque causæ
Quæque tibi in primis fuerint communia, & hosti,
Quæque vltrò concessa velis, nec tendere contrà
Conris, cum sint cunctis manifesta, nec illa
Posse negare datur, vel nil concessa nocebunt.
Hæc primum statuas breuiter, breuiterque remittas,
Vt facilè hæc donare feras, permittere & hosti.
Prima igitur pars hæc dicta est Seiunctio, cuius
Officium, causæ admissas seponere partes.

ADNOTATIO.

VT manuducat Oratorem in ijs quæ conducunt ad bonam partitionem, monet Auctor noster, curandum esse, vt secernamus ea, quæ aduersarius admittit, nobisque concedit. Proderit maximè vsus huius præcepti, vt breuitati consulamus. Cur enim velimus insudare vt ab inimico extorqueamus id quod vltrò concedit? Quæ doctrina vtilis est non modò in Causis forensibus, sed etiam in alijs, quæ finguntur institui ad similitudinem cuiusdam fori. Id contingit in Sacris Orationibus, quæ habentur ad populum. Orator Virtutis causam agens, cum auditores hortatur ad illam amplectendam, habet sibi aduersantes illos, qui vitijs dediti sunt. Proinde Euangelicus Orator secernat ea, quæ concedunt vel ipsi amatores vitiorum, neque terat inutiliter tempus illa demonstrando. Audiui quosdam diù immorantes vt ostenderent Omnibus esse moriendum. Quorsum hæc probatio? Quis veritati tam manifestæ contradicit? Maneat igitur valdè fauere Partitioni Seiunctionem; fauet enim breuitati, adeòque ad ipsam compendiosiùs peruenimus Partitionem: fauet etiam claritati; seiunctis enim, neque

que probatis his, quæ Aduersarius admittit, limpidius effulgebit partitio nostra, à qua inutilem aliarum rerum demonstrationem, tamquam velum quoddam obscuritatem facturum, remouerimus.

X L.

Altera cura tibi sit, quas vis ipse tueri
Exposuisse prius partes, breuiterque tulisse,
Et numerasse etiam: Docilis sic namque paratur
Auditor, facilèque tenet molimina causæ
Hæc mihi posterior pars, est Diuisio dicta.

A D N O T A T I O.

AD Diuisionem transit, quæ in eo occupatur, vt partes exponat, & numeret, de quibus est verba facturus Orator. Quod euidentissimè apparet in Oratione quam habuit Tullius prò lege Manilia, vbi ennumerauit dotes, quibus oportebat illum esse præditum, qui eligendus erat in Imperatorem contrà Mithridatem.

X L I.

Vt, si concedat mortem genitricis Orestes,
Sed neget esse scelus, promittens acta Parentis
Dicturum sese; thalami violata iugalis
Iura, & adulterium, Patris & crudelia fata,
Atque nefas legem sociam prodentis amici.

A D N O T A T I O.

CElebris apud antiquos erat causa Orestæ, qui Matrem occidit Clitemnestram. Arias eam hìc commemorat; vt ex illa elucidetur id, quod paulò antè docuerat. Igitur, qui perorabat contrà Orestem, nihil dicebat de morte illata Clitemnestræ: id enim concedebat Orestes, immò profitebatur. Quin etiam dicebat nullum à se fuisse commissum crimen; sustulerat enim de medio Matrem, vt vlcisceretur iniurias Agamemnoni Patri à Clitemnestra irrogatas. Quarè longè aliud fuit agendum illi Oratori, qui oppugnabat Orestem.

XLII.

Tertia dicentem sequitur, sed maxima, cura,
Confirmare suas causas, intentaque dictis
Constabilire: omnes vires hæc poscit, opesque,
Argumentorum neruos, & pondera, quæque
Arma parat Ratio, & vis inuenit ipsa disertæ
Artis: in hanc videas obnixè intendere partem,
Et studium mirere illud, vigilemque laborem,
Et trepidantem operam, quam Rhetor præstat anhelus,
Vndique dum munit causam, dum fulcit, & antè
Ædificat Vallum, dum Propugnacula figit,
Ne quid inexpertum, non tentatumque relinquat.
Scilicet vt causam firmetque, animosque, fidemque
Conciliet, veramque probet partem, aut potioris
Momenti, superetque ipso certamine causam
Alterius quicunque paret contendere contrà.
Hæc pars à nostris iam Confirmatio dicta est
Causidicis.

ADNOTATIO.

Agit de Confirmatione, potissima vtique inter partes Orationis, & quæ numquam omittitur. In illo autem sita est, vt quod assumpserimus, aut defendendum, aut aggrediendum confirmemus; hoc est, adductis rationibus, argumentis, & probationibus, ostendamus tale esse, quale à nobis fuit propositum. Ex quo conciliabitur nostris fides dictis, Auditores in nostram sententiam trahentur, tandemque hoste, qui nobis contradicebat, superato, victoriam referemus. In hac parte excellit Orator: in hac emicat eius Dialectica, si quam tenet: in hac ingenij vis apparet: In hac denique eruditus, ab inerudito discernitur. Et propter hanc confirmandi solertiam maximi fuere Cicero Romæ; Athenis Demosthenes; & quicunque eorum vestigia sequuntur. Inter quos ætate nostra, quantus fuerit Pater Paulus Segnerus Societatis Iesu, eius opera testantur: propter quæ meruit appellari Tullius Christianus. Quod testimonium hic attulisse iuuat, non solum vt amicissimum caput hac animi amantissimi significatione prosequerer; sed etiam vt Lectores ad illius Conciones amandarem, ex quibus discere pote-

poterit, quàm fortiter, quàm variè, & quàm Oratoriè suas confirmet propositiones.

XLIII.

—— Huic tota subest Contentio, quandò
Hic Rationis opes, atque hic Victoria partis
Principis humanæ mentis proponitur. Ergò
Huic multum incumbas Orator quisquis haberi
Doctus amas, immortale & per sæcula nomen
Quæris, & à nullis culpanda relinquere doctis
Scripta, pares Vulgi affectus, mentisque quietæ
Impulsus, ratione pares peruincere doctos.

ADNOTATIO.

LAudat, & iure merito, laudat hanc Orationis partem, ad quam spectat *Contentio*; in illa enim neruus Oratoris omninò consistit: adeòque vt benè procedat, omnes vires, conatusque exerunt quicunque ex arte dicunt ad populum. Valet contentio ad excitandos affectus in vulgo: & præthereà ad impellendos etiam eos, & in nostram partem trahendos, qui sunt mentis quietæ. Quo modo loquendi innuuntur Auditores magis sapientes, qui cum nequaquam obnoxij sunt (vt vulgus) perturbationibus (saltem ea vehementia, qua minus sapientes) nihilominus, si benè vtatur Contentione Orator, illos quoque impellet, & ad suam voluntatem deducet.

XLIV.

Hanc partem gemino potis es soluisse labore,
Nec sequitur plures curas Orator agendo
Dum parat, & causam firmare, & viribus ipsam
Constabilire suis. Primum est producere multa
Argumenta locis, tibi quos signauimus antè;
Nec vacat hos cursu rursus monstrare peracto:
Sat puto teque viam, & vestigia cuncta notasse.

ADNOTATIO.

PRimum caput, ex quo consurgere potest Contentio hic ostenditur: nempè si multa argumenta congerantur petita

XLII.

Tertia dicentem sequitur, sed maxima, cura,
Confirmare suas causas, intentaque dictis
Constabilire: omnes vires hæc poscit, opesque,
Argumentorum neruos, & pondera, quæque
Arma parat Ratio, & vis inuenit ipsa disertæ
Artis: in hanc videas obnixè intendere partem,
Et studium mirere illud, vigilemque laborem,
Et trepidantem operam, quam Rhetor præstat anhelus,
Vndique dum munit causam, dum fulcit, & antè
Ædificat Vallum, dum Propugnacula figit,
Ne quid inexpertum, non tentatumque relinquat.
Scilicet vt causam firmetque, animosque, fidemque
Conciliet, veramque probet partem, aut potioris
Momenti, superetque ipso certamine causam
Alterius quicunque paret contendere contrà.
Hæc pars à nostris iam Confirmatio dicta est
Causidicis.

ADNOTATIO.

Agit de Confirmatione, potissima vtique inter partes Orationis,& quæ numquam omittitur. In illo autem sita est, vt quod assumpserimus, aut defendendum, aut aggrediendum confirmemus; hoc est, adductis rationibus, argumentis, & probationibus, ostendamus tale esse, quale à nobis fuit propositum. Ex quo conciliabitur nostris fides dictis, Auditores in nostram sententiam trahentur, tandemque hoste, qui nobis contradicebat, superato, victoriam referemus. In hac parte excellit Orator: in hac emicat eius Dialectica, si quam tenet: in hac ingenij vis apparet: In hac denique eruditus, ab inerudito discernitur. Et propter hanc confirmandi solertiam maximi fuere Cicero Romæ; Athenis Demosthenes; & quicunque eorum vestigia sequuntur. Inter quos ætate nostra,
fuerit Pater Paulus Segnerus
tur: propter quæ me
testimonium hic at
put hac animi ama
vt Lectores ad il

poterit, quàm fortiter, quàm variè, & quàm Oratoriè suas confirmet propositiones.

XLIII.

— Huic tota subest Contentio, quandò
Hic Rationis opes, atque hic Victoria partis
Principis humanæ mentis proponitur. Ergò
Huic multum incumbas Orator quisquis haberi
Doctus amas, immortale & per sæcula nomen
Quæris, & à nullis culpanda relinquere doctis
Scripta, pares Vulgi affectus, mentisque quietæ
Impulsus, ratione pares peruincere doctos.

ADNOTATIO.

Laudat, & iure merito, laudat hanc Orationis partem, ad quam spectat *Contentio*; in illa enim neruus Oratoris omninò consistit: adeòque vt benè procedat, omnes vires, conatusque exerunt quicunque ex arte dicunt ad populum. Valet contentio ad excitandos affectus in vulgo: & prætereà ad impellendos etiam eos, & in nostram partem trahendos, qui sunt mentis quietæ. Quo modo loquendi innuuntur Auditores magis sapientes, qui cum nequaquam obnoxij sunt (vt vulgus) perturbationibus (saltem ea vehementia, qua minus sapientes) nihilominus, si benè vtatur Contentione Orator, illos quoque impellet, & ad suam voluntatem deducet.

XLIV.

Hanc partem gemino potis es soluisse labore,
Nec sequitur plur[illegible] Orator agendo
Dum parat, [illegible]mare, & viribus ipsam
Constabilire [illegible]st producere multa
A[illegible]nta [illegible] fig[illegible]ntè;
[illegible]cto:
[illegible]otasse.

[illegible]O.

[illegible] potest Contentio hic o-[illegible]nenta congerantur petita

X L I I.

Tertia dicentem sequitur, sed maxima, cura,
Confirmare suas causas, intentaque dictis
Constabilire: omnes vires hæc poscit, opesque,
Argumentorum neruos, & pondera, quæque
Arma parat Ratio, & vis inuenit ipsa disertæ
Artis: in hanc videas obnixè intendere partem,
Et studium mirere illud, vigilemque laborem,
Et trepidantem operam, quam Rhetor præstat anhelus,
Vndique dum munit causam, dum fulcit, & antè
Ædificat Vallum, dum Propugnacula figit,
Ne quid inexpertum, non tentatumque relinquat.
Scilicet vt causam firmetque, animosque, fidemque
Conciliet, veramque probet partem, aut potioris
Momenti, superetque ipso certamine causam
Alterius quicunque paret contendere contrà.
Hæc pars à nostris iam Confirmatio dicta est
Causidicis.

A D N O T A T I O.

Agit de Confirmatione, potissima vtique inter partes Orationis, & quæ numquam omittitur. In illo autem sita est, vt quod assumpserimus, aut defendendum, aut aggrediendum confirmemus; hoc est, adductis rationibus, argumentis, & probationibus, ostendamus tale esse, quale à nobis fuit propositum. Ex quo conciliabitur nostris fides dictis, Auditores in nostram sententiam trahentur, tandemque hoste, qui nobis contradicebat, superato, victoriam referemus. In hac parte excellit Orator: in hac emicat eius Dialectica, si quam tenet: in hac ingenij vis apparet: In hac denique eruditus, ab inerudito discernitur. Et propter hanc confirmandi solertiam maximi fuere Cicero Romæ; Athenis Demosthenes; & quicunque eorum vestigia sequuntur. Inter quos ætate nostra, [illegible]
fuerit Pater Paulus Segnerus [illegible]
tur: propter quæ mer[illegible]
testimonium hic at[illegible]
put hac animi ama[illegible]
vt Lectores ad il[illegible]

poterit, quàm fortiter, quàm variè, & quàm Oratoriè suas confirmet propositiones.

XLIII.

—— Huic tota subest Contentio, quandò
Hic Rationis opes, atque hic Victoria partis
Principis humanæ mentis proponitur. Ergò
Huic multum incumbas Orator quisquis haberi
Doctus amas, immortale & per sæcula nomen
Quæris, & à nullis culpanda relinquere doctis
Scripta, pares Vulgi affectus, mentisque quietæ
Impulsus, ratione pares peruincere doctos.

ADNOTATIO.

Laudat, & iure merito, laudat hanc Orationis partem, ad quam spectat *Contentio*; in illa enim neruus Oratoris omninò consistit: adeòque vt benè procedat, omnes vires, conatusque exerunt quicunque ex arte dicunt ad populum. Valet contentio ad excitandos affectus in vulgo: & prætereà ad impellendos etiam eos, & in nostram partem trahendos, qui sunt mentis quietæ. Quo modo loquendi innuuntur Auditores magis sapientes, qui cum nequaquam obnoxij sunt (vt vulgus) perturbationibus (saltem ea vehementia, qua minus sapientes) nihilominus, si benè vtatur Contentione Orator, illos quoque impellet, & ad suam voluntatem deducet.

XLIV.

Hanc partem gemino potis es soluisse labore,
Nec sequitur plu[illegible] Orator agendo
Dum parat, [illegible]mare, & viribus ipsam
Constabilire [illegible]st producere multa
Argumenta [illegible] sig[illegible]ntè;
[illegible]cto:
[illegible] v[illegible]otasse.

[illegible] O [illegible] O.

[illegible] potest Contentio hic o-
[illegible]nenta congerantur petita

XXXVI.

Ergò tibi proponendum sit semper, & unum,
Seù tu multa petas votum perducere ad illud
Quod cupis in primis expleri; Hoc propositum sit,
Cum factum, infectumque paras ostendere quicquam,
Cum vè optas fieri, cum ve aduersaris agendum:
Quidquid aues tandem vel confirmare, negasuè,
Vel suadere paras, vel dissuadere, vocamus
PROPOSITVM prima in facie Sermonis, idemque
Cum confirmatum fuerit, CONCLVSIO dicta est.

ADNOTATIO.

IN quocunque genere futura sit Oratio, Demonstratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali, semper statuenda est Propositio: & quidem in principio (hoc est post Exordium) Sermonis. Est enim propositio, veluti Scopus, ad quem diriguntur cætera, quæ ab Oratore sunt afferenda. Hæc propositio antequam proponatur dicitur QVÆSTIO: dum proponitur probanda dicitur PROPOSITVM: postquam rationibus fuit confirmata, appellatur CONCLVSIO. Quærimus enim an Milo insidiatus fuerit Clodio: deinde probamus illi non fuisse insidiatum: tandemque concludimus id, quod probandum assumpsimus.

XXXVII.

Cura etiam dum proponunt fuit illa Patronis
Non ingrata vnquam, sed maxima commoda semper
Promittens; si quam causam, & quæcunque pararent
Dicere, dispositis monstrarent partibus, ac sic
Quiduè tacere velint, vel si quid tractare profari:
Consulerentque simul causæ, totique coronæ.
Plurimum enim intererit, seù tu turbata relinquas,
Et cæco confusa modo, seù singula prudens
Disponas quæcunque tibi dicenda parantur.

ADNOTATIO.

DOcet Auctor, multorum exemplis adhærens, Partitionem esse vsurpandam. Eius munus est proponere, & breuiter

uiter

uiter indicare capita, quæ sunt in Oratione tractanda. Quod Cicero frequenter facit, adductus illis rationibus, quas Arias hic recenset. Definitur à Quintiliano lib. 4. cap. 5. in hæc verba: Partitio est nostrarum, aut aduersarij propositionum, aut vtrarumque collata ennumeratio. Deinde ait, controuersiam esse apud Magistros dicendi, an illa sensit adhibenda, an relinquenda. Eius verba sunt hæc: Quidam vtendum semper putant; quòd, & eat fiat causa lucidior, & Iudex intentior, ac docilior, si scierit, & de quo dicimus, & de quo dicturi postea sumus. Rursum quidam periculosum id Oratori arbitrantur.

XXXVIII.

Hoc meus in Templis nollem desideret vnquam
Auditor; sed cum nos de pietate colenda,
De Superum domis dicentes audiet, antè
Præuideat quàm multa sibi, quàm commoda rerum
Tractentur; si verba tamen non singula mente,
At capita, & partes saltem, certasque figuras
Concineat, secumque ferat, tacitusque reuoluat.
Non omnes Villega tuum qui nomen, & artem
Mirantur, quandò magni Sacraria Templi
Ingressi Sacrum prospectant fornice læuo
Munus, & erectas in cultum Virginis aras,
Et Templi effigies, quas Dorica sustinet Ancon,
Singula non omnes operis perpendere norunt
Momenta, & partes cunctas, connexaque membra
Artis, & in minimis nunquam fallentia rebus,
Naturæque parem curam, similemque decorem.
Attamen in Superos pietas concepta, tuique
Et studium, & laudes spectantum in fronte leguntur;
Quandoquidem cuiuis facile est cognoscere viuum
Virginis os, puerique sacri salientia membra;
Ipsum prætereà Diuini infantis alumnum
Felici puerum gaudentem ducere dextra,
Cæteraque exiguo in spatio conclusa, quibus iam
Iam manus inuideat Paphijs celebrata tabellis.

ADNOTATIO.

COmmendatur Præconibus Verbi Diuini vsus partitionis, eo præsertim ex capite, quod illa iuuari possunt Auditores

res vt memoria teneant Oratoris sacri documenta. Deinde (de more) accipit occasionem diuertendi (sed cum opportunitate) ad laudes amici sui Villegæ; describitque sacellum Diuinæ parenti sacrum: vtiturque his omnibus (veluti similitudine) ad illustranda, quæ docuit de Partitione.

XXXIX.

Illud in hoc genere & cupio te discere Lector,
Quod breuiter lucem admoueat, ducatque parantem
Partiri, & gratis ostendat partibus vti.
Omnis cura tibi cum vis partire, laborque
Sit primùm statuisse modos, momentaque causæ
Quæque tibi in primis fuerint communia, & hosti,
Quæque vltrò concessa velis, nec tendere contrà
Coneris, cum sint cunctis manifesta, nec illa
Posse negare datur, vel nil concessa nocebunt.
Hæc primum statuas breuiter, breuiterque remittas,
Vt facilè hæc donare feras, permittere & hosti.
Prima igitur pars hæc dicta est Seiunctio, cuius
Officium, causa admissas seponere partes.

ADNOTATIO.

VT manuducat Oratorem in iis quæ conducunt ad bonam partitionem, monet Auctor noster, curandum esse, vt secernamus ea, quæ aduersarius admittit, nobisque concedit. Proderit maximè vsus huius præcepti, vt breuitati consulamus. Cur enim velimus insudare vt ab inimico extorqueamus id quod vltrò concedit? Quæ doctrina vtilis est non modò in Causis forensibus, sed etiam in aliis, quæ finguntur instituì ad similitudinem cuiusdam fori. Id contingit in Sacris Orationibus, quæ habentur ad populum. Orator Virtutis causam agens, cum auditores hortatur ad illam amplectendam, habet sibi aduersantes illos, qui vitijs dediti sunt. Proinde Euangelicus Orator secernat ea, quæ concedunt vel ipsi amatores vitiorum, neque terat inutiliter tempus illa demonstrando. Audiui quosdam diù immorantes vt ostenderent Omnibus esse moriendum. Quorsum hæc probatio? Quis veritati tam manifestæ contradicit? Maneat igitur valdè fauere Partitioni Seiunctionem; fauet enim breuitati, adeòque ad ipsam compendiosiùs peruenimus Partitionem: fauet etiam claritati; seiunctis enim, neque

que probatis his, quæ Aduersarius admittit, limpidius effulgebit partitio nostra, à qua inutilem aliarum rerum demonstrationem, tamquam velum quoddam obscuritatem facturum, remouerimus.

XL.

Altera cura tibi sit, quas vis ipse tueri
Exposuisse prius partes, breuiterque tulisse,
Et numerasse etiam: Docilis sic namque paratur
Auditor, facilèque tenet molimina causæ
Hæc mihi posterior pars, est Diuisio dicta.

ADNOTATIO.

AD Diuisionem transit, quæ in eo occupatur, vt partes exponat, & numeret, de quibus est verba facturus Orator. Quod euidentissimè apparet in Oratione quam habuit Tullius prò lege Manilia, vbi ennumerauit dotes, quibus oportebat illum esse præditum, qui eligendus erat in Imperatorem contrà Mithridatem.

XLI.

Vt, si concedat mortem genitricis Orestes,
Sed neget esse scelus, promittens acta Parentis
Dicturum sese; thalami violata iugalis
Iura, & adulterium, Patris & crudelia fata,
Atque nefas legem sociam prodentis amici.

ADNOTATIO.

CElebris apud antiquos erat causa Orestæ, qui Matrem occidit Clitemnestram. Arias eam hìc commemorat; vt ex illa elucidetur id, quod paulò antè docuerat. Igitur, qui perorabat contrà Orestem, nihil dicebat de morte illata Clitemnestræ: id enim concedebat Orestes, immò profitebatur. Quin etiam dicebat nullum à se fuisse commissum crimen; sustulerat enim de medio Matrem, vt vlcisceretur iniurias Agamemnoni Patri à Clitemnestra irrogatas. Quarè longè aliud fuit agendum illi Oratori, qui oppugnabat Orestem.

X L I I.

Tertia dicentem sequitur, sed maxima, cura,
Confirmare suas causas, intentaque dictis
Constabilire: omnes vires hæc poscit, opesque,
Argumentorum neruos, & pondera, quæque
Arma parat Ratio, & vis inuenit ipsa disertæ
Artis: in hanc videas obnixè intendere partem,
Et studium mirere illud, vigilemque laborem,
Et trepidantem operam, quam Rhetor præstat anhelus,
Vndique dum munit causam, dum fulcit, & antè
Ædificat Vallum, dum Propugnacula figit,
Ne quid inexpertum, non tentatumque relinquat.
Scilicet vt causam firmetque, animosque, fidemque
Conciliet, veramque probet partem, aut potioris
Momenti, superetque ipso certamine causam
Alterius quicunque paret contendere contrà.
Hæc pars à nostris iam Confirmatio dicta est
Causidicis.

A D N O T A T I O.

Agit de Confirmatione, potissima vtique inter partes Orationis, & quæ numquam omittitur. In illo autem sita est, vt quod assumpserimus, aut defendendum, aut aggrediendum confirmemus; hoc est, adductis rationibus, argumentis, & probationibus, ostendamus tale esse, quale à nobis fuit propositum. Ex quo conciliabitur nostris fides dictis, Auditores in nostram sententiam trahentur, tandemque hoste, qui nobis contradicebat, superato, victoriam referemus. In hac parte excellit Orator: in hac emicat eius Dialectica, si quam tenet: in hac ingenij vis apparet: In hac denique eruditus, ab inerudito discernitur. Et propter hanc confirmandi solertiam maximi fuere Cicero Romæ; Athenis Demosthenes; & quicunque eorum vestigia sequuntur. Inter quos ætate nostra, quantus fuerit Pater Paulus Segnerus Societatis Iesu, eius opera testantur: propter quæ meruit appellari Tullius Christianus. Quod testimonium hic attulisse iuuat, non solum vt amicissimum caput hac animi amantissimi significatione prosequerer; sed etiam vt Lectores ad illius Conciones amandarem, ex quibus discere pote-

poterit, quàm fortiter, quàm variè, & quàm Oratoriè suas confirmet propositiones.

XLIII.

—— Huic tota subest Contentio, quandò
Hic Rationis opes, atque hic Victoria partis
Principis humanæ mentis proponitur. Ergò
Huic multum incumbas Orator quisquis haberi
Doctus amas, immortale & per sæcula nomen
Quæris, & à nullis culpanda relinquere doctis
Scripta, pares Vulgi affectus, mentisque quietæ
Impulsus, ratione pares peruincere doctos.

ADNOTATIO.

Laudat, & iure merito, laudat hanc Orationis partem, ad quam spectat *Contentio*; in illa enim neruus Oratoris omninò consistit: adeòque vt benè procedat, omnes vires, conatusque exerunt quicunque ex arte dicunt ad populum. Valet contentio ad excitandos affectus in vulgo: & prætereà ad impellendos etiam eos, & in nostram partem trahendos, qui sunt mentis quietæ. Quo modo loquendi innuuntur Auditores magis sapientes, qui cum nequaquam obnoxij sunt (vt vulgus) perturbationibus (saltem ea vehementia, qua minus sapientes) nihilominus, si benè vtatur Contentione Orator, illos quoque impellet, & ad suam voluntatem deducet.

XLIV.

Hanc partem gemino potis es soluisse labore,
Nec sequitur plures curas Orator agendo
Dum parat, & causam firmare, & viribus ipsam
Constabilire suis. Primum est producere multa
Argumenta locis, tibi quos signauimus antè;
Nec vacat hos cursu rursus monstrare peracto:
Sat puto teque viam, & vestigia cuncta notasse.

ADNOTATIO.

Primum caput, ex quo consurgere potest Contentio hic ostenditur: nempè si multa argumenta congerantur petita

à locis tum communibus, tum proprijs cuiusque dicendi generis, de quibus suprà dictum est. Hæc argumentorum congeries valdè est Oratorum propria. copiam enim amant, vt obruant multitudine rationum Auditores. Cum enim Oratores non agant in Scholis, neque ad doctos, sed in foro, atque ad indoctos, ità se gerere debent, vt afferant quæcunque possunt, sperantes Auditorem, si minus vni argumento petatur, petendum ab alio. Quod ità euenire patebit consideranti bonos Oratores, qui ex multitudine argumentorum victoriam referunt.

X L V.

Altera cura tibi fuerit quacunque pararis
Argumenta, sua vt detur finxisse figura,
Atque modo tali, qualem ratio ipsa loquendi
Exigat: hæc etenim momenti maxima pars est
Scire quibus torquere queas tua tela modis, vt
Viribus, & cunctis facilè vt sis dexter in armis
Gymnasia hac tua te poterunt in parte iuuare.
Illic nam Iuuenum Ratio exercetur, & illic
Ludicra proponunt Logici certamina, causis
Grande operæ pretium in causis, factura, nec vsquam
Palladiæ meruit quis maxima præmia palmæ,
Ni docti primùm deductus ab arte Magistri
Ingenij leuibus vires exercuit armis,
Edocti iaculum torquere, & cedere, & hostis
Oppositique minas, atque intentata cauere
Vulnera, quæque fuga fuerint momenta, quibusque
Temporibus premere, & constanti pectore pugnam,
Clamoresque truces, atque ardua cuncta subire.

A D N O T A T I O.

Docetur hic ars vestiendi argumenta proprijs figuris; vt his vestita vim habeant, intrentque animos, & mentes Auditorum. Hæc est ex præstantissimis dotibus, in quibus excellere oportet Oratorem. Neque enim satis est excogitasse rationes, nisi easdem ità proferat, vt suam exerant vim. Dialecticis est forma sua, & figura, sed valdè limitata, qua rationes efferunt, quibus contendunt ostendere veritatem suorum effatorum. Oratoribus est amplior, est copiosior, neque intrà certos fines concluditur. Et propterea est difficilior. Facilis red-

detur

detur (inquit Arias) *primò* si argumenta proferat Orator sub ea figura, & tali modo dicendi. *Qualem ratio ipsa loquendi exigat.* Hoc si nouerit in praxim redigere Orator, vtique suis argumentis afferet pondus, quod illis debetur. Verùm sicut difficile est id explicare; ità censeo facillimè ab illo posse Oratore comprehendi, qui beneficio sui iudicij obseruet quid contingat in sermone familiari, & illis, quos natura donauit facultate quadam, & gratia dicendi. Hi ductu tantæ Magistræ probant quæ dicunt, & quæ sunt ipsis contraria refellunt, non modis, figurisque dialecticis, sed alijs, quæ à suis affectibus suppeditantur. Hos imitetur Orator: sciatque hominem popularem (quà popularis est) ferè semper aliqua figura ab aliquo affectu petita vti, sub qua rationes suas producit, & argumenta. Scire autem qua figura sit in singulis circumstantijs rationes vestiendæ, hoc est quidem iudicij, sed tamen artis aliquid habere potest. Ecce autem illam. Figura dicendi (præsertim illa, quæ ad sententias pertinet, ex quibus sunt argumenta) definita fuit ab antiquo dicendi Magistro, dictumque nihil aliud esse, quàm Rationem vestitam affectu. Quarè Orator, qui velit formare sibi figuras rei conuenientes, videat in primis, quem affectum mereatur id, de quo agit. Si agat E. g. de Bruto Cæsarem perfidiosè aggresso, à quo beneficijs fuerat affectus innumeris; facilè cognoscet illi odium deberi. Hoc vbi statuerit, iam quærat aliquem effectum odij. Proh quot occurrent! Odium enim irascitur: odium execratur: odium imprecatur: odium deridet &c. Postquam hos effectus illius affectus adnotauerit, quo digna est res, de qua loquitur, efferat rationem, quam inuenerit, sub formula effectus alicuius procedentis ab affectu, quem putauit deberi suæ causæ: V. g. execrationis, imprecationis, derisionis &c. Quod si præstiterit, omninò sentiet se aptauisse figuram congruentem rei suæ; adeòque contorsisse suum argumentum illa machina, quæ illi debebatur, & valida erit contrà suum aduersarium. Quod autem hic ostendi in affectu odij, possem ostendere in alijs affectibus. Verùm id meo lectori relinquo faciendum. *Secundò* amandat Arias Oratorem, quem hic instituit, ad Gymnasia, in quibus traditur ars benè, hoc est Rhetoricè, Oratorièque dicendi. Ibi (si præceptores muneri suo satisfaciant) erudiuntur adolescentes in Declamationibus, & Controuersijs, Argumenta quidem, siue Themata falsa continentibus, veruntamen ità tractata, vt abundent figuris, etiam suprà necessitatem quæsitis, vt iuuenes assuescant illas tractare: præsertim verò

coloratis, quibus nihil ingeniosius excogitari potest. Videat, Lector, Quintiliano attributas declamationes, & controuersias, quæ apud Senecam sunt. Videat etiam auctorem librorum ad Herennium, & Libanium sophistam.

XLVI.

Non igitur magnos debet contemnere ludos
Orator, doctisque operam præstare Magistris
Quisquis erit qui nostra legat, nostrisque moneri
Consilijs putat esse aliquid: Nam si modò non te
Quidquam aliud possint Gymnasia docta iuuare,
Illud non magnum credas, dignumque petitu
Quod trepidantem animum confirmant? Quemque pauorem
Ingens turba solet dare circumspecta volenti
Dicere, seù quicquam in medium proponere, nullus
Hæc timeat primis quicunque assuebit ab annis
Certare in magnis ludis, grandemque coronam
Doctorumque senum cernat, iuuenumque virentum
Ora, & amicorum cętus peccata paratos
Seruare, & lapsum exiguum ridere Sodalis?
Despiciat tamen hæc cuncta, intrepidusque ruborem
Exuat, & dicat: maioremque esse coronam
Iam cupiat, vacua & doleat subsellia partis.

ADNOTATIO.

Digreditur (sed cum vtilitate, & gratia) ad profectum, quem adolescens capere potest ex Gymnasijs. Recenset ruborem, qui excutitur à iuuene coacto dicere, exercendi se causa, in illis, coram senibus, & coram Iuuenibus: qui illò confluunt, non solum audiendi, animandique causa nouitium Oratorem, sed etiam eius errores carpendi. Quibus illud emolumenti consequitur, quod paulatim assuescit tum multitudini (cuius conspectum non exhorrebit, quandò ad illam erit in vera causa dicendum) tum prudentiæ, quam sibi comparat ex suis ipsis, quos rideri videbit erroribus. Cætera sunt manifesta.

XLVII.

Argumenta igitur dicendi quærito nostris
Præceptis: loca cuncta tibi monstrata notabis,

Eruerisque, & opes ingentes, commoda magna.
Illa tamen, qua formentur ratione, modoque
Consule doctores Logices, qui cuncta docebunt
Argumentandi molimina: Certiùs illos
Hanc partem tractare vides, breuibusque docere
Exemplis, breuibusque modis, nam semper in arctum
Proponunt contracta tibi argumenta: Sed hac tu
Liberiora dabis; namque hæc contracta loquendi
Forma valet partem rationis vincere, sed non
Efficit interdum, ac visa est nimis arida multis,
Conuenit atque Scholis tantum, quibus vsque laborant
Discipuli sermone breui perdiscere multa.

ADNOTATIO.

MOdum construendi, quæ dicuntur argumenta, tradunt ex instituto Logices Magistri. Ab illis iubet Arias hunc peti. Ea præsertim de causa, vt fiant ex arte, adeòque euincant id quod ostendendum assumitur. Monet tamen, Oratori non esse illa breuiter afferenda, sed latiùs esse protendenda, vt fiant Rhetorica, & Oratoria. Erat hoc animaduertendum: multi enim decipiuntur, putantque satis esse, si dicant ad rem, rationesque afferant intentum concludentes: quod omninò falsum est. Si enim forma destituantur Oratoria, nullo modo ad Oratorem spectabunt. Quare, qui à Logico discit (& discere debet) Syllogismum, eiusque artificium: qui enthimema: qui exemplum: qui inductionem, & qui dilemma, iam vltrà progrediatur; & quod strictim ab illis vsurpatur, ipse extendat. Hac autem occasione, vellem ego quoque lectori meo significare, vt caueat, non solum à siccitate, & ieiunitate Logicorum, verùm etiam ab eorum subtilitate, & anxietate. Subtiles logici sunt, gaudentque rationibus à longè petitis. Hanc subtilitatem vitabit (quam populus sua intelligentia non assequetur) si argumenta petat à locis Topicis, quæ sunt obuia, & facilis intelligentiæ. Sunt prætereà logici valdè anxij, & soliciti, vt consequentia, quæ ab antecedente petita ab ipsis fuit, etiam alijs appareant. Proinde omnes librant voces, apicesque vt, ità dicam, ipsos ad trutinam reuocant: nihilque admittunt quod veritati ad amussim non hæreat. Hanc anxietatem, & solicitudinem omninò oportet ab Oratore vitari. Alioqui fiet valdè molestus, & fiet Scholasticus, neque (vt est) erit popularis. Quarè (vt decet virum doctum) vta-

que probatis his, quæ Aduersarius admittit, limpidius effulgebit partitio nostra, à qua inutilem aliarum rerum demonstrationem, tamquam velum quoddam obscuritatem facturum, remouerimus.

X L.

Altera cura tibi sit, quas vis ipse tueri
Exposuisse prius partes, breuiterque tulisse,
Et numerasse etiam: Docilis sic namque paratur
Auditor, facilèque tenet molimina causæ
Hæc mihi posterior pars, est Diuisio dicta.

A D N O T A T I O.

AD Diuisionem transit, quæ in eo occupatur, vt partes exponat, & numeret, de quibus est verba facturus Orator. Quod euidentissimè apparet in Oratione quam habuit Tullius prò lege Manilia, vbi ennumerauit dotes, quibus oportebat illum esse præditum, qui eligendus erat in Imperatorem contrà Mithridatem.

X L I.

Vt, si concedat mortem genitricis Orestes,
Sed neget esse scelus, promittens acta Parentis
Dicturum sese; thalami violata iugalis
Iura, & adulterium, Patris & crudelia fata,
Atque nefas legem sociam prodentis amici.

A D N O T A T I O.

CElebris apud antiquos erat causa Orestæ, qui Matrem occidit Clitemnestram. Arias eam hìc commemorat; vt ex illa elucidetur id, quod paulò antè docuerat. Igitur, qui perorabat contrà Orestem, nihil dicebat de morte illata Clitemnestræ: id enim cencedebat Orestes, immò profitebatur. Quin etiam dicebat nullum à se fuisse commissum crimen; sustulerat enim de medio Matrem, vt vlcisceretur iniurias Agamemnoni Patri à Clitemnestra irrogatas. Quarè longè aliud fuit agendum illi Oratori, qui oppugnabat Orestem.

XLII.

Tertia dicentem sequitur, sed maxima, cura,
Confirmare suas causas, intentaque dictis
Constabilire: omnes vires hæc poscit, opesque,
Argumentorum neruos, & pondera, quæque
Arma parat Ratio, & vis inuenit ipsa disertæ
Artis: in hanc videas obnixè intendere partem,
Et studium mirere illud, vigilemque laborem,
Et trepidantem operam, quam Rhetor præstat anhelus,
Vndique dum munit causam, dum fulcit, & antè
Ædificat Vallum, dum Propugnacula figit,
Ne quid inexpertum, non tentatumque relinquat.
Scilicet vt causam firmetque, animosque, fidemque
Conciliet, veramque probet partem, aut potioris
Momenti, superetque ipso certamine causam
Alterius quicunque paret contendere contrà.
Hæc pars à nostris iam Confirmatio dicta est
Causidicis.

ADNOTATIO.

Agit de Confirmatione, potissima vtique inter partes Orationis, & quæ numquam omittitur. In illo autem sita est, vt quod assumpserimus, aut defendendum, aut aggrediendum confirmemus; hoc est, adductis rationibus, argumentis, & probationibus, ostendamus tale esse, quale à nobis fuit propositum. Ex quo conciliabitur nostris fides dictis, Auditores in nostram sententiam trahentur, tandemque hoste, qui nobis contradicebat, superato, victoriam referemus. In hac parte excellit Orator: in hac emicat eius Dialectica, si quam tenet: in hac ingenij vis apparet: In hac denique eruditus, ab inerudito discernitur. Et propter hanc confirmandi solertiam maximi fuere Cicero Romæ; Athenis Demosthenes; & quicunque eorum vestigia sequuntur. Inter quos ætate nostra, quantus fuerit Pater Paulus Segnerus Societatis Iesu, eius opera testantur: propter quæ meruit appellari Tullius Christianus. Quod testimonium hic attulisse iuuat, non solum vt amicissimum caput hac animi amantissimi significatione prosequerer; sed etiam vt Lectores ad illius Conciones amandarem, ex quibus discere pote-

poterit, quàm fortiter, quàm variè, & quàm Oratoriè suas confirmet propositiones.

XLIII.

—— Huic tota subest Contentio, quandò
Hic Rationis opes, atque hic Victoria partis
Principis humanæ mentis proponitur. Ergò
Huic multum incumbas Orator quisquis haberi
Doctus amas, immortale & per sæcula nomen
Quæris, & à nullis culpanda relinquere doctis
Scripta, pares Vulgi affectus, mentisque quietæ
Impulsus, ratione pares peruincere doctos.

ADNOTATIO.

LAudat, & iure merito, laudat hanc Orationis partem, ad quam spectat *Contentio*; in illa enim neruus Oratoris omninò consistit: adeòque vt benè procedat, omnes vires, conatusque exerunt quicunque ex arte dicunt ad populum. Valet contentio ad excitandos affectus in vulgo: & præterea ad impellendos etiam eos, & in nostram partem trahendos, qui sunt mentis quietæ. Quo modo loquendi innuuntur Auditores magis sapientes, qui cum nequaquam obnoxij sunt (vt vulgus) perturbationibus (saltem ea vehementia, qua minus sapientes) nihilominus, si benè vtatur Contentione Orator, illos quoque impellet, & ad suam voluntatem deducet.

XLIV.

Hanc partem gemino potis es soluisse labore,
Nec sequitur plures curas Orator agendo
Dum parat, & causam firmare, & viribus ipsam
Constabilire suis. Primum est producere multa
Argumenta locis, tibi quos signauimus antè;
Nec vacat hos cursu rursus monstrare peracto:
Sat puto teque viam, & vestigia cuncta notasse.

ADNOTATIO.

PRimum caput, ex quo consurgere potest Contentio hic ostenditur: nempè si multa argumenta congerantur petita

à locis tum communibus, tum proprijs cuiusque dicendi generis, de quibus suprà dictum est. Hæc argumentorum congeries valdè est Oratorum propria, copiam enim amant, vt obruant multitudine rationum Auditores. Cum enim Oratores non agant in Scholis, neque ad doctos, sed in foro, atque ad indoctos, ità se gerere debent, vt afferant quæcunque possunt, sperantes Auditorem, si minus vni argumento petatur, petendum ab alio. Quod ità euenire patebit consideranti bonos Oratores, qui ex multitudine argumentorum victoriam referunt.

X L V.

Altera cura tibi fuerit quæcunque pararis
Argumenta, sua vt detur finxisse figura,
Atque modo tali, qualem ratio ipsa loquendi
Exigat: hæc etenim momenti maxima pars est
Scire quibus torquere queas tua tela modis, vt
Viribus, & cunctis facilè vt sis dexter in armis
Gymnasia hæc tua te poterunt in parte iuuare.
Illic nam Iuuenum Ratio exercetur, & illic
Ludicra proponunt Logici certamina, causis
Grande operæ pretium in causis, factura, nec vsquam
Palladiæ meruit quis maxima præmia palmæ,
Ni docti primùm deductus ab arte Magistri
Ingenij leuibus vires exercuit armis,
Edocti iaculum torquere, & cedere, & hostis
Oppositique minas, atque intentata cauere
Vulnera, quæque fugæ fuerint momenta, quibusque
Temporibus premere, & constanti pectore pugnam,
Clamoresque truces, atque ardua cuncta subire.

A D N O T A T I O.

Docetur hic ars vestiendi argumenta proprijs figuris; vt his vestita vim habeant, intrentque animos, & mentes Auditorum. Hæc est ex præstantissimis dotibus, in quibus excellere oportet Oratorem. Neque enim satis est excogitasse rationes, nisi easdem ità proferat, vt suam exerant vim. Dialecticis est forma sua, & signa, sed valdè limitata, qua rationes efferunt, quibus contendunt ostendere veritatem suorum effatorum. Oratoribus est amplior, est copiosior, neque intrà certos fines concluditur. Et proptereà est difficilior. Facilis red-

detur

detur (inquit Arias) *primò* si argumenta proferat Orator sub ea figura, & tali modo dicendi. *Qualem ratio ipsa loquendi exigat*. Hoc si nouerit in praxim redigere Orator, vtique suis argumentis afferet pondus, quod illis debetur. Verùm sicut difficile est id explicare; ità censeo facillimè ab illo posse Oratore comprehendi, qui beneficio sui iudicij obseruet quid contingat in sermone familiari, & illis, quos natura donauit facultate quadam, & gratia dicendi. Hi ductu tantæ Magistræ probant quæ dicunt, & quæ sunt ipsis contraria refellunt, non modis, figurisque dialecticis, sed alijs, quæ à suis affectibus suppeditantur. Hos imitetur Orator: sciatque hominem popularem (quà popularis est) ferè semper aliqua figura ab aliquo affectu petita vti, sub qua rationes suas producit, & argumenta. Scire autem qua figura sit in singulis circumstantijs rationes vestiendæ, hoc est quidem iudicij, sed tamen artis aliquid habere potest. Ecce autem illam. Figura dicendi (præsertim illa, quæ ad sententias pertinet, ex quibus sunt argumenta) definita fuit ab antiquo dicendi Magistro, dictumque nihil aliud esse, quàm Rationem vestitam affectu. Quarè Orator, qui velit formare sibi figuras rei conuenientes, videat in primis, quem affectum mereatur id, de quo agit. Si agat E. g. de Bruto Cæsarem perfidiosè aggresso, à quo beneficijs fuerat affectus innumeris; facilè cognoscet illi odium deberi. Hoc vbi statuerit, iam quærat aliquem effectum odij. Proh quot occurrent! Odium enim irascitur: odium execratur: odium imprecatur: odium deridet &c. Postquam hos effectus illius affectus adnotauerit, quo digna est res, de qua loquitur, efferat rationem, quam inuenerit, sub formula effectus alicuius procedentis ab affectu, quem putauit deberi suæ causæ: V.g. execrationis, imprecationis, derisionis &c. Quod si præstiterit, omninò sentiet se aptauisse figuram congruentem rei suæ; adeòque contorsisse suum argumentum illa machina, quæ illi debebatur, & valida erit contrà suum aduersarium. Quod autem hic ostendi in affectu odij, possem ostendere in alijs affectibus. Verùm id meo lectori relinquo faciendum. *Secundò* amandat Arias Oratorem, quem hic instituit, ad Gymnasia, in quibus traditur ars benè, hoc est Rhetoricè, Oratorièque dicendi. Ibi (si præceptores muneri suo satisfaciant) erudiuntur adolescentes in Declamationibus, & Controuersijs, Argumenta quidem, siue Themata falsa continentibus, veruntamen ità tractata, vt abundent figuris, etiam suprà necessitatem quæsitis, vt iuuenes assuescant illas tractare: præsertim verò

coloratis, quibus nihil ingeniosiùs excogitari potest. Videat, Lector, Quintiliano attributas declamationes, & controuersias, quæ apud Senecam sunt. Videat etiam auctorem librorum ad Herennium, & Libanium sophistam.

X L V I.

Non igitur magnos debet contemnere ludos
Orator, doctisque operam præstare Magistris
Quisquis erit qui nostra legat, nostrisque moueri
Consilijs putat esse aliquid: Nam si modò non te
Quidquam aliud possint Gymnasia docta iuuare,
Illud non magnum credas, dignumque petitu
Quod trepidantem animum confirmant? Quemque pauorem
Ingens turba solet dare circumspecta volenti
Dicere, seù quicquam in medium proponere, nullus
Hæc timeat primis quicunque assuebit ab annis
Certare in magnis ludis, grandemque coronam
Doctorumque senum cernat, iuuenumque virentum
Ora, & amicorum cœtus peccata paratos
Seruare, & lapsum exiguum ridere Sodalis?
Despiciat tamen hæc cuncta, intrepidusque ruborem
Exuat, & dicat: maioremque esse coronam
Iam cupiat, vacua & doleat subsellia partis.

A D N O T A T I O.

Digreditur (sed cum vtilitate, & gratia) ad profectum, quem adolescens capere potest ex Gymnasijs. Recenset ruborem, qui excutitur à iuuene coacto dicere, exercendi se causa, in illis, coram senibus, & coram Iuuenibus: qui illò confluunt, non solum audiendi, animandique causa nouitium Oratorem, sed etiam eius errores carpendi. Quibus illud emolumenti consequitur, quod paulatim assuescit tum multitudini (cuius conspectum non exhorrebit, quandò ad illam erit in vera causa dicendum) tum prudentiæ, quam sibi comparat ex suis ipsis, quos rideri videbit erroribus. Cætera sunt manifesta.

X L V I I.

Argumenta igitur dicendi quærito nostris
Præceptis: loca cuncta tibi monstrata notabis,

Erue-

Eruerisque, & opes ingentes, commoda magna.
Illa tamen, qua formentur ratione, modoque
Consule doctores Logices, qui cuncta docebunt
Argumentandi molimina: Certiùs illos
Hanc partem tractare vides, breuibusque docere
Exemplis, breuibusque modis, nam semper in arctum
Proponunt contracta tibi argumenta: Sed hæc tu
Liberiora dabis; namque hæc contracta loquendi
Forma valet partem rationis vincere, sed non
Efficit interdum, ac visa est nimis arida multis,
Conuenit atque Scholis tantum, quibus vsque laborant
Discipuli sermone breui perdiscere multa.

ADNOTATIO.

MOdum construendi, quæ dicuntur argumenta, tradunt ex instituto Logices Magistri. Ab illis iubet Arias hunc peti. Ea præsertim de causa, vt fiant ex arte, adeòque euincant id quod ostendendum assumitur. Monet tamen, Oratori non esse illa breuiter afferenda, sed latiùs esse protendenda, vt fiant Rhetorica, & Oratoria. Erat hoc animaduertendum: multi enim decipiuntur, putantque satis esse, si dicant ad rem, rationesque afferant intentum concludentes: quod omninò falsum est. Si enim forma destituantur Oratoria, nullo modo ad Oratorem spectabunt. Quare, qui à Logico discit (& discere debet) Syllogismum, eiusque artificium: qui enthimema: qui exemplum: qui inductionem, & qui dilemma, iam vltrà progrediatur; & quod strictim ab illis vsurpatur, ipse extendat. Hac autem occasione, vellem ego quoque lectori meo significare, vt caueat, non solum à siccitate, & ieiunitate Logicorum, verùm etiam ab eorum subtilitate, & anxietate. Subtiles logici sunt, gaudentque rationibus à longè petitis. Hanc subtilitatem vitabit (quam populus sua intelligentia non assequetur) si argumenta petat à locis Topicis, quæ sunt obuia, & facilis intelligentiæ. Sunt prætereà logici valdè anxij, & soliciti, vt consequentia, quæ ab antecedente petita ab ipsis fuit, etiam alijs appareant. Proinde omnes librant voces, apicesque vt, ità dicam, ipsos ad trutinam reuocant: nihilque admittunt quod veritati ad amussim non hæreat. Hanc anxietatem, & solicitudinem omninò oportet ab Oratore vitari. Alioqui fiet valdè molestus, & fiet Scholasticus, neque (vt est) erit popularis. Quarè (vt decet virum doctum) vtatur

tur argumentationibus, quas Logici docent, non autem modo, quem illi vſurpant. Argumentetur populariter, vt fit à cordatis viris, ſibique attentis in familiari, quotidianoque conuictu. Quis enim inficiabitur ab his ad rem non dici? Quis non valdè? Quis non fortiter? Quis non efficaciter? Et tamen ab illis abeſt Dialectica ſolicitudo, & anxietas. Quæ, inter cætera incommoda (quæ vincuntur à Dialecticis, quià ſunt proprij artificij, & opificij, adeòque grata) hoc parit ſummo conatu vitandum; Vt nimirum nimis attentum velint Auditorem. Hanc autem nimiam attentionem qui ſibi vellet; in primis laboraret incaſſum. Populus enim non eſt capax tam exquiſitæ attentionis. Deinde, ſi illam obtineret, vtique delaſſaretur Auditor, eiuſque caput obtunderetur, & odio haberet Oratorem, hæc ſibi mala parientem. Quarè laudi non poteſt ſibi vertere Orator, quod omnia ſua dicta propoſitioni cohæreant (ſi nihil aliud agat) neque quod oporteat ſibi attentiſſimum Auditorem eſſe. Quid igitur erit in illo ſummoperè commendandum? Hoc: ſi illa vtatur dexteritate in argumentando, vt ſuus Auditor, quàm minimè defatigetur. Addo, vt etiam ſi diſtrahatur (& ſanè diſtrahetur) etiam ſi dormitauerit (quod proculdubio continget) poſſit adhuc vim argumenti, & probationis ſentire. Mihi quidem legenti Tullianas Orationes, contingit animaduertere duo: Alterum eſt, ab eximio viro dici concludentiſſimè, adeòque Dialecticè: alterum id ab illo ità fieri, vt nihil omninò appareat ex dialectica anxietate: Imò non apparet dialecticum eſſe: & ea de cauſa, valdè laborant Magiſtri, dum iuuenibus conantur oſtendere cohærentiam, immò conſequentiam ſingularum Orationis partium. Vndè hoc? Quià maximus homo, ità dialecticè argumentatur, vt argumentationem dialecticam accommodet debili auditorum menti: ab illis eam attentionem nequaquam volendo, quam Dialectici. Idcircò diuertit, & redit, ludit, & ſerius fit: miſcet argumentationi narrationes: quædam etiam producit recreandi Auditoris cauſa, quæ proculdubio à rigore dialecticorum abhorrent, ſed Oratorio valdè proſunt theatro. Cauſidicos, & qui ſæculari agunt in foro, huic præcepto ſe conformare audiui Venetijs. Ab illo diſcedere (heù nimium!) audio frequenter eccleſiaſtici fori Oratores. Sæpiùs fiunt ſubtiliſſimi: ſæpius fiunt anxij, & ſoliciti; adeòque Auditorem fatigant, & fruſtrà fatigant; cùm nullo pacto id aſſequi valeat, quod diligentiſſimè meditatum, & elaboratum, ſemel, & per tranſennam accipit; atque (vt plurimum) tempore, &

hora

hora importunis. Quis enim ignorat Conciones haberi die ad meridiem vergente? Quis etiam ignorat tunc esse ex negotijs defessos Auditores? Aut etiam inedia laborare, quæ facilè somnum conciliat? Propterea si fatigatis aliundè hominibus, nouam addat fatigandi causam Concionator, quam attentionem sperare poterit? Hæc si benè perpendantur à meo Lectore, planè intelliget à multis peccari, quià ad populum afferunt subtilitates Dialecticas, & ab illo maiorem postulant attentionem, quàm ille possit præstare.

XLVIII.

Nuda igitur ratio, ac tenuis proponitur illic,
Verbaque pauca nimis, tantum referentia rerum
Naturam exiguo molimine, nudaque ab omni
Ornatu; nostro præsertim tempore, quando
Angustè effertur quæuis sententia. Quondam
Ipsa hæc liberiùs multò, grauiusque fluebant.
Constat Aristotelis libris, potiusque Platonis,
Plutarchi, atque etiam scribentis plura Galeni,
Quos simul vtilibus videas iucunda parare,
Et res miscentes doctas, & dulcia verba.

ADNOTATIO.

VRget id quod aggressus est dicere, spectatque ad dilatationem argumenti; ne logicum sit in ore dicentis ad populum, sed Rhetoricum & populare. Ait, hac ætate Philosophos, eosque qui de scientijs scribut, id facere stilo valdè presso, & arido, quod olim non eueniebat. Aristoteles, Plato, Plutarchus, & Galenus producuntur in medium. Apparet ex eorum scripsit esse doctos: apparet etiam non esse strigosos, & macilentos, & nescientes loqui. Quod idem apparet in libris, quos Cicero edidit: qui cum sint omni doctrina referti, sunt etiam omni elegantia pleni, ità vt quæ videbantur Scholis tantum apta, fuerint accommodata ingenio populari. Cardinalis Sfortia Pallauicinus optabat hanc docendi in Scholis consuetudinem renouari, interruptam, quià quo tempore corrupta fuit lingua latina, cathedras ascenderunt homines qui illam neglexerunt: adeòque barbaras voces inuexerunt, & idioma sibi fecerunt à populari diuersum. Et inde euenit, vt paulatim, hac corruptela vim consuetudinis accipiente, penitus

omnis

omnis elegantia, suauitasque tradendi scientias, aut euanuerit, aut etiam expulsa fuerit. Verùm ab hac spe valdè distamus. Omnia enim docentur sine ornamento, adeòque sine vllo oblectamento, quod reddat amabiles scientias. Nonnullis ab hinc annis, hæretici redierunt ad viam antiquorum. Incæperunt tradere suos errores stilo iucundo: ex quo obtinuerunt, vt occultetur venenum, auidèque legantur: & cum blandè se insinuent, iam non tantum vt vera eorum doctrina, cæteroqui falsa creditur, sed etiam ab indoctis amatur. Si verò aliquis quærat, vnde cognosci possit, Doctorum (de quibus loquimur) libros esse nudos ab omni ornatu? Respondeo, quià carent illis artificijs ex quibus comparatur Orationis ornatus. Sunt autem hæc, quæ innuam postquam ostendero quid sit Ornamentum in genere. Est igitur ornamentum pulcritudo quædam superaddita rei, sine qua esse posset. Quo pacto dicuntur ornati parietes ab auleis, quæ pulcritudinem illis adiungunt, sine qua adhùc essent parietes. In re nostra, Ornamentum Orationis erit pulcritudo superaddita sententiæ, quam explicamus per verba, sine qua adhuc maneret sententia, hoc est ab Auditore intelligeretur. Certè si quis dicat: Deus est Optimus, id simplicissimè dicet, & sine ornamento, intelligeturque sententia illis verbis expressa. Iam fiet ornata, si addetur aliqua pulcritudo. Porrò pulcritudo addita Orationi est aliquid oblectans illum, ad quem Oratio dirigitur. Hæc oblectamenta desumi possunt, *primò* ab ijs, quæ aures oblectant. Et hæc sunt electio vocum, quæ magis auribus placeant quàm aliæ. Qua ratione voces sonoriores, grandiores, facilisque pronnunciationis sunt meliores, quàm minus sonoræ, grandes, arduæque pronnunciationis. Quò pariter spectant, quæ de numero harmoniam faciente præscribuntur: & quæ de iunctura, de collocatione, de cæsis, membris, periodisque solent ostendi; & in vniuersum figuræ Verborum. *Secundò* desumi possunt ab ijs quæ phantasiam. Ex quo capite si aliquis ad explicandam sententiam (quæ sine orationis ope manet in animo cæteris ignota, illique vni nota à quo fuit concepta) vtatur aliquo effectu sensibili (hoc est afficiente aliquem ex corporis sensibus) qui Phantasiam feriat, quæ sensus communis est, percipitque omnia quæ à singulis corporis percipiuntur sensibus. Hinc ornamenta quamplura desumunt Poetæ, consueti phrasim suam conformare ex vocibus aliquid sensibile importantibus. Sic dicturi diem esse, dicunt Aurora in roseis fulgebat roscida bigis: in quo versu omnia decerpta à sensibus, phantasiam quoque recreant.

creant. *Tertiò* desumi possunt ab ipso Oratore. Tunc aliquis mos, & quidem bonus inseritur Orationi; sicque ornatur sententia, quatenus Auditori reuelatur aliquid illi placens, nempè Oratorem esse benè moratum. *Quartò* desumi possunt ab Auditore: quod fit cum aliquis in illius animo excitatur affectus; vnde sententia explicatur per formulam pathos habentem. *Quintò* desumi possunt à re, de qua agitur; quod propriè fit beneficio rationis, siue Logices; aperiendo aliquid in re latens, quod auditori placet, vel fit aliquid vnde flat acumen aliquod, gnomi aliquod, vel aliud quippiam ab ingenio eductum. Ecce varia capita Ornamentorum. Quibus cum destituatur in suis doctrinis Dialecticus, quà Dialecticus; hinc est eius Orationem (hoc est Voces complexas, & explicantes aliquam animi sententiam) esse nudam ab omni ornamento. Hæc obiter innuisse sufficiat de Ornamentis. Cæterum diligenter euoluenti bonos Oratores, Scriptoresque, apparebit illos hoc artificio vti, quod docet ipsa natura liberaliter, siue ciuiliter educata. Certè quicunque vrbanitatem profitetur, quoties adit virum aliquem (ad minimum) se maiorem, illum compellat (etiam nesciens artem benè dicendi) formulis à consueto discedentibus, & ornatis. Qua de causa à consueto discedit? Hac vna; quià sententiæ nudæ addit quidpiam ex ijs, quæ adnotaui: Saltem aliquid moratum: saltem aliquid patheticum. Quod præstat etiam (prò sua imbecillitate) quicunque vel rusticus homo accedit ad alium suæ conditioni superiorem.

XLVIII.

Et refert multum id, nam libera pectora tangunt
645 *Impulsu dulci dicendi, & vincere mentem*
Conantur, redduntque bonos, doctosque vicissim
Discipulos, moresque regunt, animum quoque lustrant.

ADNOTATIO.

NE videatur aliquid dixisse inutile, numero superiori, ostendit vtilitatem, quam parit Scientia ornamentis vestita. Valet enim ad motus animorum: valet ad mores: valet ad reddendos discipulos, bonos, & doctos. Quod cum contingit, enim verò sunt firmiter, constanter, perseueranterque boni: Sunt enim boni vi doctrinæ mentem stabilientis in veritate earum rerum, quæ bonum efficiunt hominem.

XLIX.

XLIX.

Hinc doctos Iuuenes videas, qui plurima passim
De rebus didicere sacris, de moribus vsque
Plurima, sed tenui, ac dura sub imagine vocum
Hæc didicere, nec integris sunt moribus ipsi,
Nec populos sermone queunt perducere in alta
Mœnia virtutis, vel vita exempla probare.
Non igitur sola est ratio discenda, sed omni
Dicendi ornanda est specie, suauique decore,
Vt placeat, subeatque iuuans penetralia nostri
Pectoris, atque paret sedes, intusque medullis
Hæreat, & nullis vellatur viribus: Inde
Membra regat, cogatque sequi pulcherrima quæque.

ADNOTATIO.

COnfirmat quæ hactenus docuit: aitque Iuuenes illos, qui didicerunt aut mores, aut res sacras, sed à Magistris ruditer illa docentibus, nec bonos imbuisse mores, nec aptos fuisse ad promouendos in bonis moribus populos. Credo hac de causa. Quia qui haurit eam doctrinam sub rudibus Dialecticorum formis, haurit illam theorico solum modo, non autem pathetico. Modus theoricus habent vim docendi, non autem mouendi: neque mouetur aliquis à rudibus illis modis, sed ab alijs cultum habentibus. Ratio est, quià hi amantur, non item illi. Amati verò penetrant in voluntatem, efficiuntque vt vno, eodemque tempore intellectus à doctrina erudiatur, & voluntas à suauitate dicendi tentetur. Ecce duabus (vt ità dicam machinis) vtitur qui dicit ornatè, & docet ornatè: vnica verò qui docet inornatè. Quid igitur mirum, si inexpertus vim Orationis ornatæ, illam nesciat adhibere apud eos ad quos egressus è Schola est verba facturus? Quid mirum si qui illam non adhibent, eorum animos non intret, non moueat, non vincat? Idcircò Societas Iesu docet suos artem Oratoriam, vt hoc instrumento adiuti, efficaciùs possint in animis Auditorum infigere salutarem Euangelij doctrinam. Hoc commendatissimum velim cuicunque Sacro Oratori: quod & discere poterit ab ipsis, qui Sacri dicuntur libris, tum veteris, tum noui Testamenti: in illis enim quidquid docetur, theorico, & Scholastico modo nequaquam docetur, sed valdè pathetico, & in animos

animos se insinuante. Immò cum summa, Verborum simplicitate, reperiet ornamenta sententiarum prorsus Diuina, metaphorasque adeò elegantes, vt apud prophanos non reperiantur illis æquales. Sancti verò Patres, qui primatum in eorum classe ducunt, elegantissimi, & ornatissimi sunt; illi præsertim quà verba fecerunt ad populum. Vt ex his omnibus, quæ delibaui potius quàm enucleaui, meus tandem lector intelligat, contentum non debere Oratorem esse sola ratione. Nam si contentus illa esset, in quo differret à Logico?

L.

Hoc meus Orator curet rationis habere
Fundamenta, modos logicos, formasque disertas:
Liberiore tamen campo spatietur, & ipsam
Non sit contentus RATIONEM vincere; tentet
Tentet, & hanc partem mentis, quæ libera nobis;
Et iuuet in primis sensus, speciequè loquendi
Alliciat, gratis commendans omnia verbis.

ADNOTATIO.

Finis imponitur doctrinæ spectantis ad ornatum argumentorum ex officina Logices petitorum. Doceturque Orator, ne sit contentus Rationem (hoc est intellectum potentiam, quæ percipit res) peruincere, quod etiam fit à Dialectico, sed anhelet ad vincendam Auditoris Voluntatem. Hoc opus est Oratoris: qui semper aliquid vult aut fieri, aut non fieri ab Auditore. Neque enim orat, vt veritate manifestata, in illa sistatur: Orat, & vera probare nititur, vt Auditor trahatur ad Voluntatem Oratoris; quod Dialecticus non curat; cui satis est theorema suum ità disputando demonstrare, vt cogatur antagonista sibi cedere, faterique vera fuisse tum prolata, tum probata. Verùm Orator finem suum non consequetur, nisi Rationum ponderibus elegantiam quoque sermonis addiderit.

L I.

Confirmare tribus continget partibus: Vna est
Vndique collatis, causæ fulcimina, rebus
Atque fidem præstare tuæ, quocunque probare
Posse putes illud non prætermittere, quamuis

Non manifesta tibi reddatur causa, tamen sit
Iuncta probabilibus rebus, quas scilicet ipsa
Aut ratio dederit causæ ingeniumque pararit
Vndique, & in tempus præsens produxerit, vt sic
Ipse fidem faciens vincas, palmamque reportes.
Altera pars causam firmandi est, optima rerum
Ponere non vllos ritus metuentia duros
Fundamenta, quibus connixa est causa, negari
Quæ nequeant vllis rationibus, atque perire.
Hanc confirmandi faciem, quæ viribus vsque
Nititur eximijs, poteris tu dicere Pondus;
Pondus enim causæ est magnum, nec cedere doctum.
Sed confirmandi pars tertia Firmamentum est,
Quæ nostrum non fulcit opus, sed concutit hostis
Collidens crebro fundamenta impete, nec non
Ictibus assiduis, inimicaque tela retundit,
Vt si se vitijs offensum sæpe queratur
Lutherus, & quædam non dissimulanda videri
Christicolum populis, confingere qualia multa
Ipse solet, causas prætexens turpibus ausis,
Criminibusque suis: dicens quod scilicet illum
Vita Sacerdotum quorumdam offendit auara;
Accusator ego contendam; crimine turpi
Non careas Martine tamen, namque omnia legum
Iuraque, fasque vetant paucorum crimina multis
Obijcere, & nullo discrimine perdere cunctos.
Magna Sacerdotum pars est (quod & ipse negare
Haud poteris) quibus Officij est non infima cura,
Qui sanctè, purèque colunt mysteria Diuum,
Vnde nefas tantum confundere protinus omne?
Esto igitur, non iusta quidem sit vita malorum,
Nempè Sacerdotum, sed quis tu Luthere vindex?
Num desunt, Sanctique Patres, Sanctusque Senatus?
Num supremus abest Iudex? Num denique Iura
Non sunt, quæ iubeant diros punire nocentes?
Horum nempè fuit, cunctos quos vindice pœna
Nouisset dignos compescere; præmia dignis
Reddere, cuique suum ius & seruare decebat:
Stulte, quibus causis, aut quo vesane colore
Criminis euites aciem, scelerisque notari
Effugias? Si cuncta Deum tu iura, hominumque
Confundis? Si Iudicibus, Patribusque relictis

Sedi-

Seditione graui conturbas omnia? Nec vis
Pontifici parere sacro, nec legibus vllis;
Exemploque tuo, ac verbo vis cogere vulgus,
Imperiumque auuersari, & contemnere cuncta
Iura hominum: Diuinum etiam, sanctumque timorem
Spreuisse, & laxas vitijs effundere habenas.
Scilicet hæc pietas fuit, & prudentia magna,
Atque Sacerdotum compescere crimina, nullos
Esse Sacerdotes, nullum voluisse Senatum,
Pontificem nullum, Prætorem denique nullum:
Vindicibus populum priuare, ac Religionis
Vincula discutere, & mundum sine legibus esse;
Quod nec in Infernis sæui penetralibus Orci
Posse manere putem; Nam quamuis Ordinis illic
Nulla subest ratio, quamuis Confusio cæca
Illic sit, sua iura tamen seruantur & illic.
Nec temerè quisquam tenebrosi in carceris antro,
Aut patitur sæuas pœnas, aut tristia damna:
Omnia sunt firmata suis iam legibus: Absque
Legibus, ipsa etiam Plutonia Regna perirent.

ADNOTATIO.

CVm tres partes elucidauerit Arias, quas Confirmatio agit, commoratus est diutius in tertia, quæ Firmamentum dicitur. Vtque solet, digressus est, impugnauitque planè Oratorio modo Lutherum, insectatusque illum tam acriter fuit, vt nihil habere potuisset, quod responderet, si hæc audiuisset contrà se dici. Adeòque præceptum suum exemplo à se conformato elucidauit.

LII.

Tres igitur sunt hæ, quas Confirmatio partes
Versat agens: Est vna FIDES: est altera PONDVS.
Est FIRMAMENTVM, quod semper percutit hostes.

ADNOTATIO.

BReuissima Anacephaleosi hic repetuntur tres partes Confirmationis. *Prima* dicitur Fides: cuius munus est, omnia vestigare, quæ aliquo modo prodesse causæ possunt; efficien-

ciendo, vt Auditor præstet fidem Oratori, credatque ab illo vera dici. *Secunda* dicitur Pondus. Eius munus est hærere ipsis rationibus, quibus, vtpotè firmissimis, neque ab Aduersario soluendis, causa innititur. *Tertia* denique Firmamentum dicitur; & tota est, vt aduersarium torqueat, illumque respirare non sinat, omni spe amputata refellendi, quæ contrà se proferuntur.

LIII.

Confirmat Rhetor formis persæpe duabus.
Interdum firmans geminis dicenda figuris,
Quas disceptandi docta traducit ab arte.
Ille quidem sæpè à simili, vel compare rerum
Natura accumulat quæ non timet esse neganda.
Hæc vbi constituit, studioque latente probauit,
Proposuit prudens hosti, iussitque fateri,
Protinus, incautumque, inuitumque opprimit, atque
Propositam trahit in causam, & concedere cogit.
Hæc nostris Logicis Inductio dicta figura est.
Sunt qui Exempla vocent; sed nos Exempla vocamus,
Quando à Personis, Personarum quoque gestis
Argumentandi vires inducimus: At cum
A reliquis rerum naturis pondera, vimque, &
Argumenta trahit, simplex Inductio tunc fit.
Hanc sequitur Natura magis, formamque frequentat;
Sæpiùs & minimum pars hæc producitur arte;
Nam facile, & pronum est inducere: rustica turba,
Et pueri inducunt: Dedit hoc Natura benigna
Omnibus expositum: Quarè & vis maxima in illo est
Ordine, nec Veneris minimum, minimumque decoris.

ADNOTATIO.

Agit de Inductione (acturus deinde de Syllogismo) argumentatione valdè Rhetorica, valdeque populari. Distinguit Inductionem ab Exemplo: aitque Inductionem à rebus peti: Exemplum à Personis. Deinde docet Inductionem ferè à natura disci; est enim hæc argumentatio vel ipsis notissima rusticis. Definitur à Cicerone Inductio in hæc verba: Inductio est Oratio, quæ rebus non dubijs captat assensionem eius, qui cum instituta est: quibus assensionibus facit, vt illi dubia quædam

dam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſentit, probetur. Velut apud Socraticum demonſtrat Socrates cum Xenophontis vxore, & cum ipſo Xenophonte Æſchinem locutum. Dic mihi (inquit) quæſo Xenophontis vxor: Si vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes; vtrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quod ſi veſtem, & cæterum ornamentum muliebre pretij maioris habeat quàm tu habes; tuum an illius malis? Illius verò, reſpondit. Age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, virum ne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aſpatia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo, inquit, Xenophon, ſi vicinus tuus meliorem equum habeat, quàm tuus eſt; tuumnè equum malis, an illius? Illius, inquit. Quod ſi fundum meliorem habeat, quàm tu habes; vtrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem ſcilicet. Quod ſi vxorem meliorem habeat quàm tu habes, vtrùm illius malis? Atque hic Xenophon quoque tacuit. Poſt Æſchines quoniam vterque veſtrum (inquit) id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire volueram, egomet dicam quid vterque cogitet. Nam & tu mulier optimum virum mauis habere; & tu Xenophon vxorem habere lectiſſimam maximè vis. Quare niſi hoc perfeceritis, vt, neque vir melior, neque fœmina lectior in terris ſit, profectò id ſemper, quod optimum putabitis eſſe, multò maximè requiretis, & tu vt maritus, quàm optimæ mulieris ſis, & hæc, vt quàm optimo viro nupta ſit. Hic cum rebus non dubijs eſſet aſſenſum; factum eſt propter ſimilitudinem, vt etiam illud, quod dubium videbatur, ſi quis ſeparatim quæreret, id pro certo, propter rationem rogandi concederetur. Hæc Cicero lib. 1. de Inuentione.

L I V.

Altera forma, licèt naturæ in finibus orta eſt,
Artis habet magnam partem, ingenijque diſerti,
Et Vulgo ſemota magis, doctiſque propinqua,
Non aliena tamen penitus, non abdita Vulgo.
Namque vſus perſepè monet, tractatque frequenter
Hanc formam pueros inter, turbamque minorem,
Vt credas è Naturæ radicibus ortam.
Hæc nomen vulgare tenens à fonte Sororum
Auerſum, cupit offerri numeris, pedibuſque,

Aptius vnde illi Vates COLLECTIO, nomen
Fecerunt, Græcas perdocti exponere voces.

ADNOTATIO.

TRansit ad Syllogismum, quem circumscribit, cum quantitas metrica non patiatur proprio nomine in versum hexametrum intrare; & proinde appellat illum Collectionem.

L V.

Ergò tribus constat Collectio partibus: Vna est
Maior habens claram lucem, rebusque probandis
Conueniens: sequiturque Minor, quæ Assumptio multis
Dicitur, Assumens quamuis conuincere partem.
Tertia pars Vulgo logicis conclusio dicta est:
Dicta quoque à multis intentio sæpè Poetis.
Has tibi ieiuno tradit sermone diserta ars,
Quam logicen dicunt, tantum confingere sueta
Argumentandi nudas sine corpore formas.
Quas vbi Rhetoricis Orator sæpè figuris
Ornaui dicens, verbisque, modisque decoris
Exhibuit, tantum Veneris perferre videntur,
Vt cunctos moueant sensus, ducantque, trahantque,
Ac rapiant cunctos, cunctorum & pectora pulsent.
Ipsum prætereà Logicum, magnumque probandi
Artificem fallant miratum tanta decoris
Munera, qui non agnoscat sua fila, suum nec
Inclusum sentis vt opus, sed Rhetoris omne
Esse putet, tantæque exardeat artis amore.

ADNOTATIO.

ARias ennumerauit propositiones, quibus constat Syllogismus, siue Collectio, easque appellauit nomine, quod illis indiderunt Logici, Maioris nimirum, Minoris, & Conclusionis: deinde alio, quo solent illas vocare Rhetores; Assumptionis, & Intentionis. Quæ cum clara sint, nihil immoror in illis explicandis. Moneo tamen ab Oratore sæpiùs mutari ordinem illarum propositionum. Dialectici primo loco semper statuunt Maiorem, & secundo Minorem: Oratores confundunt, sæpiusque ab ipsa Conclusione incipiunt. Ratio est,

quia

quia populariter argumentantur, non autem Scholasticè; voluntque vim Syllogismi à Logicis; sed ab arte sua volunt ipsam logicorum formam velari, ne appareat.

L V I.

In genere hoc, illud cupiam te aduertere. Lector,
Sapè aliquam partem studio properante relinqui
Huius quæ nobis dicta est Collectio, formæ.
Siue quod id ratio variandi postulet ipsa;
Seù vehemens petat id dicentis & impetus, vt qui
Festinet, damnetque moras, & feruidus hostem
Vrgeat: Enthymema illud dixere priores.
Nec genus aduersum est primis, ast cuncta secando
Et contracta modò species, sed viribus vna;
Ac librata pari momenti pondere; tantum
Commoda, & ad facilem captum, & torquerior apta.

A D N O T A T I O.

VTiliter monemur Enthymematis, quod etiam vocatur Syllogismus imperfectus. Familiare est Oratori Enthymema: Ratio est, quià magis accedit ad modum argumentandi, quo vtitur populus, rarò Syllogismum vsurpans. Prætereà sæpè contingere potest Maiorem propositionem, aut esse nimis à longè petitam; & tunc excedit intelligentiam populi, qui hæc longè petita, cum sint subtilia ipse verò tardæ, pinguisque mine ruæ, non assequitur: aut esse nimis propinquam, & obuiam; & tunc fiet Oratio loquax, dicensque illa, quæ necesse non erat dicere: adeòque propter alterum ex his capitibus, sæpè derelinquunt Oratores Syllogismum, atque vtuntur Enthymemate. Siue tamen vtantur Syllogismo, siue Enthymemate, numquam tamen Ornamenta dimittunt; quod inculcandum est, præsertim quià hac ætate sunt plures, qui inuexerunt in suas Disertationes modum argumentandi planè Logicum, & præferentem tres propositiones, omninò insulsas: deinde subtilissimas producunt rationes; quas vbi dixerint ingeniosas esse, putant se notam mali Oratoris euitauisse: quasi verò ingenium sit totum illius Choragium, quod certè non est. Vult vtique ingenium, sed ornamenta cœteris dotibus adiungens: sine quibus non consistit Oratio rethoricè elaborata. Vtitur ergò Orator Enthymemate libentiùs, & frequentiùs, quàm Syllogis-

mo. Vtitur etiam non raro Epicheremate, quod est argumentatio vim Syllogisticam, aut Enthymematicam vnica propositione complectens; quale est illud Poetæ ex ore Mercurij ad Æneam, suadentis, vt Carthagine abiret, in qua Vrbe certa mors imminebat, de qua ipse dormiens non cogitabat: *Et potes hoc sub casu ducere somnos?* Ecce Syllogismum, multò magis Enthiméma contentum breuissimo Epicheremate; sed robustissimo, & efficacissimo.

L V I I.

Artis opus proprium tandem, & pars optima restat
Nunc referenda mihi, cuius sine munere nullus
Orator dicendus erit: Fortasse disertus
Quisquam erit inuentis felix, atque ordine felix,
Cæteraque ingenij teneat præconia: laudem
Orantis tamen huic numquam concedere nostra
Musa velit, quicunque caret vel lumine tanto
Dicendi. Huic parti nomen fecistis Athenæ,
Sæpè phrasim, quam Romano sermone vocamus
Eloquium, siue huic affinia nomina voci
Tu mecum meditere, meis non apta Camænis
Nec faciles cessura pedes in vincula nostri
Carminis, obliquo cupiam seu tendere casu
Retia, vel cupiam ductu concludere recto
Effugient, quocunque modo, labentur, & arctos
In numeros numquam venient, legemque seueram.
Vnum igitur nomen, quo rem nos sæpè vocamus
Sit satis Eloquium, dum rem cognoscimus ipsam,
Et partes, viresque omnes numeramus: id est, quod
Conandum institui, non artis nomina cuncta
Tradere, sed facilem, ac dulcem pede carminis artem,
Efficere, & voces, & nomina tu tibi magnis
Cuncta voluminibus quæres, queis prisca virorum,
Et noua queis constat Sapientia: protinus artem
Cum teneas nostram, mox cunctas consule chartas.

A D N O T A T I O.

AGgreditur illa docere, quæ spectat ad elocutionem, quæ in arte Rhetorica eum sibi vindicat locum, vt sine illa nequeat aliquis laudem Oratoris mereri. Dicetur fortasse disertus, hoc est sciens disserere, sciens raciocinari: Dicetur inge-

geniosus, dicetur doctus; at si careat elocutione non erit Orator. Quid enim est Orator? Est vir oratione præstans. Quid est Oratio? Ratio manifestata per Oris officium, hoc est loquelam: non tamen quocunque modo, sed optimo, & præstantissimo, qualem ostendit ars vnica elocutionis; quæ quantum sit Oratoris propria, superfluum est pluribus ostendere: ab eloquendo enim dictus est eloquens, immò ipsa eloquentia. Hoc est copiosè loquens, ornatèque Sapientia.

L V I I I.

Eloquij præcepta tibi discenda paramus,
Quam partem certè Orator sibi vindicat vnam.
Cætera fortassis naturæ munera dicas,
Aut accepta alijs referantur ab artibus; ast hanc
Qua loquimur partem nulli debere fatetur
Orator, nisi Rhetoricæ, studioque perenni
Dicendi: Hos tantum est assueta agnoscere semper,
Nec fines alios emensa est: prima tuetur
Lumina, priuatosque lares, sed nomina tanta
Hic habet vt meritò orandi sibi præmia palmæ
Sola olim tulerit, tantum & dicendo valeret
Quisque, huius quantum partis Veneremque, modumque
Perciperet studio, aut vsu, atque in publica ferret
Commoda; finis enim cunctis hic artibus vnus.

A D N O T A T I O.

ITerum commendat Oratorem ab elocutione, quæ adeò est illius propria, vt nemo illam ausus fuerit adhuc illi contendere. Simul docet hanc parari à studentibus Rhetoricæ; & facilem reddi ab illis, qui se dicendo exercent. Si enim vnquam verum est adagium, Cytharizando fit Cytharædus; hic certè verissimum est; loquendo ad leges Rhetorum fieri eloquentem.

L I X.

Totum igitur genus hoc, nostro quod nomine, & arte
Discimus Eloquium, cuius momenta putamus
Maxima, non multis id constat partibus: Id tu
Mente, animoque queas facilè comprehendere; namque
Membra duo eloquij formam, totamque figuram

Perficiunt : Vnum est selectis omnia verbis
Dicere, queque tua non sint nimis absona lingua :
Seù tu Romano cupias, seù dicere Graio,
Hispanumuè forum dicens, Gallumuè frequentes :
Seù Magis Indorum cupias impellere gentem
Dicendo, seù Germanos de Religione
Compellare pares : Namque omnibus omnia linguis
Artifici proferre modo probibet nihil, etsi
Barbara, & à nostro nimium distantia Cœlo
Gens fuerit, Græci penitus rudis, atque latini
Sermonis; tamen hæc nunquam fraudata loquendi
Vsibus egregijs, ipsorumque auribus apto
Verborum, dulcique sono, gratoque lepore.
Herculeum quondam eloquium mirata vetustas
Gallica, quæ potuit propellere pectora dictis,
Inque aures, docta connectere vincula, lingua;
Frænaque in immanes populos, queis tota moneri
Turba hominum vocisque sequi moderamina dicta est.

A D N O T A T I O.

PRimum caput ostendit parandæ elocutionis Arias; docetque pendere ab electione Verborum, siue vocum. Qui enim vult benè loqui, hunc oportet non temere omnes vsurpare voces; sed relictis, quæ non sunt bonæ, illis subrogare bonas. Ne autem videretur hoc præceptum concludi intra fines, Latinæ, Græceque linguæ, monet illud extendi ad cuiuscunque Nationis sermonem: Vnicuique enim suus est lepor, sua Venus, sua gratia loquendi.

L X.

Barbara Theutonicis lingua est, collisaque multis
Partibus, & nostris omninò dissona verbis;
Sed tamen inuenit, dicendo, verba, modosque
Lutherus (heù dirum nostro qnoque tempore monstrum!)
Religionis onus Sanctæ, & teterrima pestis,
Quemque Giganteo conceptum semine tellus
Sæua paraturum in Sanctos molimina Diuos
Edidit anguineo perfundens ora veneno.
Hic ergò inuenit, dicendo, verba, modosque,
Queis falsum suadere (nefas) corrumpere Christi

Ius potuit, populosque suis erroribus actos
Præcipiti stygios cursu propellere in omnes.
Tantum igitur studium linguæ, patriique leporis
Contulit huic, quamuis vocum sit barbarus vsus,
Vt, non vera, tamen turpi temerarius ausu
Suaserit, & multis populis persuaserit, vsque
Ad gladios, ignesque rogi, & discrimina mortis
Maxima, quæ nostro perpessos cernimus æuo.
O superùm veneranda cohors, auertite vestris
E populis immane nefas, dirumque furorem,
Ne serpat contacta lues, atque impleat Orci
Non exoratas vndas, stygiamque paludem:
Inque ipsum sceleris tanti, fraudisque nefandæ
Auctorem extremo conclusum carceris antro
Fulmina, tela, faces sæuas, ignesque perennes,
Et volucres, furiasque omnes, atque omnia tandem
Tormenta, & tristes cunctas immittite pœnas.

A D N O T A T I O.

VT excitetur quicunque ad Vocum delectum, ex quo Elocutio comparatur, profert in medium hæresiarcham, cœteroqui æterno, infamique silentio damnandum. Hic est Lutherus. Gente fuit, Theuton. Lingna Theutonica asperior videtur exteris. Ille tamen vir scelestissimus, ingenio, & arte dicendi abusus, illam valdè deliniuit, reddiditque suauem. Quis iam desperet idem consecuturum in alio sermone, qui sit Theutonico dulcior? Excurrit deinde in vituperium hominis, & in iustissimas propter damnum Religioni catholicæ à tanto monstro illatum querelas.

L X I.

Sed redeo, nedum commotus pectore acerbo
Tot maledicta, tamen minus hanc explentia mentem
Accumulem. Dabitur tempus, quo falsa professos
Confringam, validisque impugnem multa lacertis.
Tu tantum Dux esto meis Christe optime votis,
Nazaridum decus æternum, verique, bonique
Auctor, & infernis Numen trepidabile Regnis.

ADNOTATIO.

Redit ab incæpta disgressione, & inuectiua contra Lutherum, quam æstro raptus poetico incæperat. Cœtera sunt manifesta.

LXII.

Eloquij pars vna tibi constabit in ipso
Verborum satis electu, curaque petito
Iudicio: neque enim, tibi quæ sese obuia cuncta,
Obtulerint mox admittes, cupiesque referre.
Multa tibi pensanda prius, voluendaque multa,
Vt referas, ipsis coniuncta, & commoda rebus:
Cuncta quidem nouisse volo, vel & vltima, nostrum
Verba Oratorem: tamen hæc sibi credita certis,
Discretisque locis cupiam, si quandò parabit
Dicere, vt inueniat proprijs quadrantia causis:
Nulla etenim vox esse potest, modò prodita constet,
Et certo signata vsu, quæ sola vagari
Debeat incerta, aut nulla sociabilis ansa.
Sunt propriæ sedes cuique, & loca commoda cuique.

ADNOTATIO.

Cognitionem omnium vocum requirit Arias in Oratore, vt, prò opportunitate modò his, modò illis vtatur. Et monet prudentissimè, nullam esse vocem, quæ suo loco posita, vtilis, immò iucunda esse non possit. In hoc autem sita est Oratoris industria, vt acri iudicio, & ab experientia, librorumque lectione limato, sciat hanc opportunitatem vocum cognoscere. Vtcunque enim sit vilis, sit exilis, sit abiecta vox aliqua, si tamen prudenter vsurpetur, elegantiam habebit ex ipsa vilitate, exilitate, abiectione. Quid vilius Vomitu? Et tamen illo vox à Cicerone tanta gratia in Marcum Antonium fuit adhibita, vt plausum reportauerit, & aduersarium altis vulneribus sauciatum cum suo rubore dimiserit.

LXIII.

Hæc igitur voluenda tibi non vltima cura
Traditur in nostram quisquis diuerteris artem;

Vt

Vt tibi cunctorum Verborum regula certa
Constet, & ad qualem legem, finemque, modumque
Pertineant prudens discernas, inque tuum ius
Dispositis ponenda locis tibi cuncta recondas:
Tum metire, suo cum tempore res petet vltrò
Quæ rebus quadrent ipsis, iungantur & aptè,
Ne rerum pars nuda breui sit nomine, & vltrà
Promineat tenuis spectanda, & voce minore
Eleuet, atque graues causas, & pondera rerum.
Neù maius nomen, grauiusque, & viribus impar
Indideris rerum: ex Nano faciendo Gigantem;
Nec deceat, sed & ipsa suo cum nomine parua
Res cadat, inque sinu pendens, reuolutaque lato
Ridiculam speciem, vanum quoque præbeat vsum.
Verba igitur grauibus rebus quadrare recusant
Exigua, & vitium, magnumque admissa ruborem
Concipiunt summas non attingentia partes.
At contrà leuibus rebus componere magna
Nomina ridendum est; seù tentes fundere longis
Vtribus humorem exiguum: Sonat intus, & vsque
Voluitur, extremas semper versatus in oras:
Cætera vel vento comples, vel inania linquis.

ADNOTATIO.

MVltus est in commendanda hac prima electione vocum, ità vt grandibus rebus voces aptentur grandes; & exiguæ exiguis. Non est superuacanea hæc commendatio; quià verè peccatur à nescientibus artem in hac cura. Dum enim soliciti sunt de sermone emendato, hoc est grammaticali, ne per vmbram quidem suspicantur id, quod hic monet Arias: quod tamen est magni faciendum. Opus non habet hoc præceptum longiore commentatione. Vnum habeo, ad quod horter adolescentes. Legant bonos scriptores, & præ omnibus Marcum Tullium, planèque deprehendent hanc viam ab illo Oratore calcari. Res videtur plena fastidij, & laboris: verùm paulatim mansuescit, fitque adeò dulcis, & familiaris, vt procedente tempore, spontè veniant ad calamum voces, & quidem illæ ipsæ, quæ petuntur ab argumento.

LXIV.

Sint tibi nota prius, dicenda, orandaque cuncta.
Alter, & inde labor, quo sint sermone ferenda
Prospicere, & paruis componere tantula rebus
Nomina; sed grauibus rebus coniungere magna
Verba pares, formis, spatiisque capacibus apta.
Si mediocris erit res, sint mediocria vocum
Pondera; ne quando describis prælia propter
Arbusta, & salices glaucas, lymphasque liquentes
Inter barbatos hircos, capreasque fugaces,
Hæc pugnare feras quàm forti pectore, & armis,
Sed præstare canas saltu, cornuque ferire.
Neù rursum Regumque, Ducumque micantia dicens
Pectora, bellorum vires, & pectora sæua,
Hìc, dicas, fugit, hic currit, contingit, & illum
Percutit, atque manus imponit, calce, feritque.
Natura inuenit nobis res: nomina rebus
Commoda nos ratio, atque vsus reperire coegit.
Iudicio quærenda igitur, causisque probanda.

ADNOTATIO.

NIhil vtilius dici poterat ab Aria nostro. Monet igitur Oratorem, vt prius quàm admoueat manum calamo, cogitet de qua causa, siue de quo argumento sit verba facturus. Ex hac enim præmeditatione consequetur, vt cogitet etiam de verbis opportunè eligendis. Qui secum faxit, id omninò illi continget, quod adagio circumfertur: Currus trahit boues. Si hanc viam ineat, cauebit iam maximum in Oratione absurdum, vsurpandi videlicet voces magnas in tenui: rursumque tenues in magno argumento. Rem autem subijcit oculis proponendo duplex certamen: aliud exile, quod euenit inter capras, & hircos: alterum grande, quod agitur inter Duces, & Reges. Quid potest fingi magis ridiculum, quàm primo aptare voces cubitales, secundo digitales? Quare post expositum vtrumque certamen concludit: Voces esse iudicio examinandas, vt quadrent causis explicandis.

L X V.

Sed tamen & proprias voces, & nomina linguæ
Quærere præmoneo, peregrinaque cuncta cauere
Absona sermoni, & nimium distantia vulgi
Auribus: illa etenim non intellecta parabunt
Vtile nil: laudis dicenti præterea nil:
Tantum affectantis nomen, seseque parantis
Ostentare alias voces, & nomina doctum.
Quod vitium fuge tu quisquis mea carmina laudas,
Atque artem cupis orandi pertingere. Nam, cur
Si suadere paras alijs res, vteris istis
Vocibus, & Clario dignis interprete, vel quos
Respuat, elusum dum sese iudicat abs te
Auditor, tamquam cupias ostendere, voces
Quas tenet is nimium communes; te modò doctum
Produxisse nouas, quas non intelligit ipse?

A D N O T A T I O.

INculcatur Oratori futuro vsus vocum propriarum illius linguæ, quam loquitur. Alioqui si hac proprietate careat, eius Oratio non erit popularis; adeòque peccabit contrà suum officium, à quo monetur, vt sit vir popularis, & populariter (hoc est ad captum populi) verba faciens. Monetur etiam, vt peregrinas voces, & vsu detritas, & antiquatas, & huiusmodi populo ignotas euitet. Idque duplici ex capite. Primò enim apparebit affectatus; quo vito nullum est odibilius: præfert enim curam, attentionem, & solicitudinem ostentandi se, & alijs se anteferendi. Secundò contemptum nescio quem auditorum ostendit: quasi velit is, qui sic loquitur, declarare se vnum sermonis gnarum, reliquos non item. Quo pacto conseruabit beneuolentiam, quam in Orationis exordio sibi studuit comparare? Adde sic futuram Orationem valdè obscuram. Vtinam hoc vitium ab omnibus vitaretur! Certè multum hinc damni resultat in causam quæ tractatur. Quod si causa sit pia (qualis est apud omnes Sacros Oratores) quis oculo sicco patiatur Oratores, vanitatis causa, illam prodentes?

LXVI.

L X V I.

Sic nuper Iuuenes (vanissima pectora) nostri,
Quorum fortè tibi sunt cognita nomina, Gaspar,
Nescio quid magnum egregijs virtutibus ausi,
Scriniaque, & folles defraudauere paternos,
Atque auri quodcunque senex contraxit auarus
Eripiunt, cunctasque parant inuisere partes
Orbis, & immensos terræ, pelagique labores
Durare, vt tandem rerum prudentia maior
Visendi studio, doctis, cupidisque paretur;
Neuè domi segnis, rudis, atque inopina senectus
Occupet, & vitam videatur ducere inertem.
Italiam fato profugi, ligurinaque vix dum
Littora calcarunt, cum iam remeare, laresque
Exoptant proprios, saturi, fessique laborum:
Dulcis amor patriæ: patriam repetamus amici,
Desertosque foros, & dulcia fercula Matrum,
Quas nimis (heù!) mœstas facimus, lacrymasque perennes
Cogimus, & tristes pro nobis edere planctus.
Iam satis audendo, terræque, marisque repertum est,
Dum iuga ter Phœbe minuit, ter cornua complet.
Iam tribus (heù nimium!) lunaribus absumus annis.
Talibus inde domum dictis, patriamque reuisunt,
Miranturque alias facies, & pondera rerum
Mutata, & quas iam virides videre profecti
Arentes nimium messes canescere; quodque
Creuerit in longos tunc nata cucurbita ramos.
Iamque minus docti Iuuenes, rerumque periti,
Nil nisi inauditas voces, noua nomina rerum
Italico accentu crepitant. damnantque paternos
Sermones, & verborum formamque, struemque,
Nostrorum, inuidiamque mouent, cum cætera turba,
Turba puellarum, & iuuenum mirata loquentes
Succinit, & tales iam concrepat anxia voces.

A D N O T A T I O.

ID, quod euenire solet quibuscunque (qui parum sapiant) cuiuscunque gentis Iuuenibus, attribuit suæ, Hispanæ nimirum, auctor Hispanus. Et opportunè ad reprehendendam affe-

affectationem illorum Oratorum, qui derelictis patrij ſermonis vocibus, peregrinas, obſoletas, & vulgo ignotas vſurpant. Non egent elucidari verſus, quos hoc numero Lector peruoluit. Proficuum tamen puto, ſi addidero, maximam apud magnos Oratores, & ſcriptores curam fuiſſe, vt omnibus intelligerenturquæ, aut dicebant, aut ſcribebant. Quàm raro opus eſt vti Calepino, vt intelligatur Cicero, Virgilius, Liuius, Cæſar, & cæteri, ſine controuerſia, maximi viri? Qua de cauſa? Quia ſtuduerunt popularitati Sermonis. Et ea quoque de cauſa non miſcuerunt proprio Idioma peregrinum: neque enim græcas ſententias E. gr. inſerit Cicero ſuis ſcriptis (excipe epiſtolas, quas ad doctiſſimum ſcribit Atticum, adeòque nullo labore intellecturum linguam græcanicam) neque Liuius, neque Cæſar. Immò neque Sancti Doctores Eccleſiæ, qui melioribus vixerunt ſæculis. Alta mente infixum gerebant, ſe loqui ad ſuos: & propterea opus eſſe eorum vti ſermone. Quod (heù nimis!) cum à noſtris ſine neceſſitate, non ſeruetur, immò libentiſſimè excurratur in linguam extraneam (talis nunc temporis eſt latina) impleanturque Sacræ Conciones dictis latinè prolatis, vellem animaduerterent, an hæc pompa vtilitati Auditorum conferat? Pompa (inquam) non autem vtilitas.

L X V I I.

Noſtra ſit at numquam ſermonem linquere cura,
Vocibus & patrijs cuiuſuis dicere lingua:
Nec, niſi vel rerum nouitas, cum nomina, reſque
Sunt aliena, vltrà, noua nos inducere cogat;
Vel ſaltem, ſi pulcra ſubeſt ſententia linguis
In reliquis veniam poſſit concedere quiſquis
Audierit; ſed rara tamen, quamque approbet vſus;
Nec ſe ſe oſtentans, vt factis commoda noſtris,
Atque decens, & mox dictis clareſcat ab ipſis.
Quiſquis eris vocum nimium ſtudioſe nouarum,
Dedecus, inuidiamque tibi dennuncio, ſi non
Sint accepta tuis inuenta vocabula curis,
Et modicam laudem ſi ſint accepta: Parabis
Vitare ingentes igitur, caſſoſque labores.

A D N O T A T I O.

EVndem clauum figit, & valdè commendat abſtinentiam à vocibus peregrinis: deinde etiam à nouis. Si quas autem huiuſ-

huiuſmodi adhibuerimus, hoc & faciendum eſt prudenter, ne videantur quæſita, ſed ſpontè venientia, & neceſſaria. Tunc enim vitatur affectatio; maximum, vel in ipſa virtute, etiam morali, vitium. Certè primi, extra omnem aleam, Scriptores, ab hac peſte procul abſunt: eorumque cura eſt, vt cum vtantur maxima in dicendo, ſcribendoque cura, nolint tamen apparere eam curam adhibere. Quapropter cum diſſimulent artem, ſæpè contingit ab ineruditis putari illos arte deſtitui: neque enim animaduertunt veriſſimè ab illo cantatum fuiſſe, qui cecinit,

Si latet ars prodeſt, affert detecta pudorem.

LXVIII.

In verbis etiam antiquis eſt gratia maior,
Et grauitas, ſi rara etiam, ſelectaque ſi ſint.
Nec curæ ſuſpecta nimis, ſed credita caſu
Oblata, aut proprio dicentis cognita in vſu.

ADNOTATIO.

FAcile eſt in aliam affectationem incurrere ſpectantem ad voces antiquas. Hanc eſſe cauendam hic monemur: & rarò inuehendas eſſe has voces, & cum illa, tum cautela, tum parſimonia, immò raritate, quam indicat hoc loco Arias. Labuntur (neſcio qua de cauſa) in hunc ſcopulum ſenes, præſertim eruditi: qui cum cæteroqui florente eorum ætate, ab hoc furfure abſtinuerint, annis ingraueſcentibus, voces amant antiquas, & obſoletas inuehere. Fortaſſe quia omne ſimile appetit ſuum ſimile. Vel etiam quia putant ſe beneficio ætatis eſſe tantæ auctoritatis vt poſſint in theatrum educere voces illas, quæ dudum ab illo fuerunt excluſæ.

LXIX.

Compoſitis ſeruandi eadem, ratioque, moduque:
Vnica compoſitis felix eſt Græcia verbis.
Pluribus vna modis voces committere multas
Auſa, ſed obtinuit longo vſu, dum ſibi laudem
Ambitioſa parat, dum multaque dicere tentat.
Has tibi diuitias inuidit cætera turba
Linguarum. Parcis multum componere ſermo

Ne-

Nomina Romanus: tantum compingere verba
(Non tamen & temerè) assuetus; nam temperat, & se
Cogit in angustas leges, contenta paratis
Vocibus, inuento cuiuis inimica recenti
Itala lingua quidem vocum splendore, modisque
Et numeris diues, tenuis componere tantum.
Gallia nominibus doctas imitatur Athenas
In componendis: Germania barbara, nobis
Ignota, & de qua nullum promittere possum
Iudicium, tantumque paro proponere linguas,
Quas didici, & teneo. Patrij sermonis egestas
Nulla quidem, quamuis multis Hispania linguis
Diuisa est; at cuique tamen sua munera sunt sat.
Copia nulla deest Verborum, nullaque rerum,
Dum modò non desit, qui rectè deligat vsus,
Sed nimium tenuis concessa licentia nobis
In componendis tum verbis, tumque nouandis.

ADNOTATIO.

NOnnulla docemur, quæ pertinent ad voces simul coniungendas, ità vt ex duabus, & etiam tribus coalescat, aut vnum nomen, aut vnum Verbum. Græci felicissimi sunt in hac compositione, vt patere potest scientibus eorum linguam. Latini amantes grauitatem, & alieni ab ostentatione ingenij, & ab omni Vanitate, quæ curam declaret ambitionemque) declinant compositionem hanc. Quid faciant cæteræ linguæ, patet ex versibus suprà allatis.

LXX.

VTERE IVDICIO in cunctis, penitusque memento
Orandi non esse tibi leue munus, vt inde
Securo liceat dormire, & sternere in aurem
Vtramque. At nimio studio, curaque paranda
Multa tibi, non res solum, sed nomina: voces
Multimodæ, quarum causas, & pondera doctus
Prospicias, & certa pares in tempora quidquid
Perpensum, lectumque tibi, vel compositum sit.
Nam quo alito speres, pacto peruincere cunctos
Dicendo, magnamque tibi contendere palmam?
Cum pariter valeant omnes coniungere voces,

Et motus, & cuncto animi meditata referre,
Si non assiduam curam, iustumque laborem
Impendas verbis, ac rebus protinus illis,
Quæ temerè, & nullo studio profundere nouit
Cætera, vulgarem rapitur dum turba, per vsum?

A D N O T A T I O.

MEminerit Orator, se Oratorem esse: hoc est hominem, qui profitetur de quocunque argumento dicere benè, sapienter, ornatè. Meminerit se dicere ad populum, hoc est ad omnes, qui Ciuitatem componunt: neque enim Populus plebem tantùm complectitur, sed quotquot in Ciuitate viuunt, neque coarctantur in Scholis. Hæc duo si recordetur Orator, vtique segnis non erit, sed valdè solicitus, vt sui muneris dignitatem tueatur; animaduertendo, se patere iudicijs & linguis tantæ coronæ, quantam videt in populari Auditorio. Quod vbi præmisit Arias, mox hortatur hunc hominem, qui Orator dicitur, vt comparet sibi intra suæ domus, lycæique parietes, assiduo studio copiam rerum, & verborum. Ne videlicet, vbi se obtulerit necessitas dicendi, sterilis appareat, & inops: adeòque cogatur eadem repetere, & eamdem rem ijsdem vocibus phrasibusque vestire. Ego eram Auctor iuuenibus, quos erudiebam in arte benè dicendi, vt antequam stylum admouerent argumento cuilibet, secum reputarent, ecquid esset illis frequentiùs nominandum. Quod vbi cognouissent, seponerent, nomina, verba, & cæteras formas eidem congruentes, vt parati essent ad variandos modos dicendi. Quot modis Virgilius intrà paucos versus, nominat equum Troianum? Si hanc copiam non habeat Orator, vix differet à cætera turba artem dicendi nesciente. Omnes enim animi sensa aperiunt loquendo, sed eadem repetendo verba; easdem iterando formas &c. quod quià paupertatis est, idcircò non sapit, & contemptum parit: & qui sunt illi obnoxij, laudem Oratoris non merentur. Igitur, si Oratorem se professus in easdem miserias inciderit, aut nullus, aut triobolaris Orator habebitur.

L X X I.

Vtere compositis tandem, componere parce.
Nec nimis auriculis credas, examina vulgi
Te fallent: Nam sæpè solet noua nomina vulgus,

Et modò compoſita prægrandis admittere plauſu.
Poſt vbi iam ventoſa videt, commentaque tantum
Verborum, queis nulla ſubeſt ſententia, tandem
Negligit, & vacuas patitur diducta per auras
Protinus illa ſuo cum magno Auctore perire.

ADNOTATIO.

VSus in quacunque lingua voces nonnullas admittit compoſitas. Illis vtatur (ſi velit) Orator. Nam, cum approbationem à conſuetudine habeant, ſcopulos euitabit, quos paulò antè oſtendimus. Cæterum caueat Orator, ne deludi ſe, aut allici patiatur à vulgari plauſu: Vulgari inquam, non populari: nam ſæpè vulgus (hoc eſt homines, qui in populo ſunt minoris iudicij) approbat voces compoſitas. Verùm vbi animaduertit illas carere ſententijs, & eſſe ventoſas, ſiue ampullatas, tandem deridet, neque diutius illas durare patitur. Quod euenire quotidie videmus; cum vituperio eorum, qui voces huiuſmodi eructauerunt, ſine arte vſurpatas. Italorum nonnulli excogitauerunt voces *Imparadiſare*, *Impurgatoriare*: quis illas adhuc teneat?

LXXII.

Vidimus in noſtris (nec multum viximus) annis
Scriptorum ingentem cumulum, quæ vulgus inerti
Susciperet ſtudio, noctùque, diùque teneret
In manibus, caneretque, forent ſi carmina, ſi non,
Attamen aſſiduè legeretque, & dicta referret.
Illa autem nuper tantum laudata videmus
Vilibus officium ſolum præbere tabernis,
Vt piperis, thuriſque ferant reuoluta maniplos,
Aut elementorum pueris inuiſa recondi.
Nempè ſua leuitate perit quodcunque ſine arte
Eſt opus, & nullis innixum viribus. Vt flos,
Qui neque odore placens, nulloque probabilis vſu
Exhibent ſpeciem tantum, gratumque nitorem.
Tantum operis, tantumque perit cura, atque laboris,
Si non te ratio, aſt vulgi ſententia ducat.

ADNOTATIO.

Confirmat doctrinam suam Arias argumento ab experientia ducto. Multi scriptores, qui delectati Vanitatibus à se damnatis, plausum vulgi retulerunt, paucis deinde annis vixerunt. Quod omninò oportuerat euenire. Nam quod sine arte elaboratur, citò deficit. Hinc discat meus Lector, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Liuium, Ouidium, cæterosque huius egregiæ notæ viros adhuc viuere, & victuros, quià illorum scripta, Artis (hoc est rectæ rationis) columnis institerunt. Si arte carerent, exitum sortirentur, & sortiti eumdem fuissent, quem alij, qui sine arte scripserunt, indulgentes ingenio, & auræ vulgari. Ea de causa, vel antequam libri Typis imprimerentur (quorum ope facilis est euulgatio scriptorum) Amanuentium labore scribebantur, & hoc pacto viuebant. Credat Lector, tam improbum scribendi, & exscribendi volumina grandia laborem à nemine suscipiendum fuisse, nisi meridiana luce liqueret clarius eorum bonitas. Quam bonitatem cum non aduerterint illi Amanuentes, factum est quoque, ne tanto labore illos dignarentur, qui non egregiè dixerunt. Nunc temporis, quid mirum, si vulgentur codices etiam insulsi? Paruo constant; nam vna præli pressura tot exemplaria spatio vnius diei excuduntur, quot satis sunt vt ad integram perueniant Prouinciam. Verùm quis Bibliopola ditescit ex horum impressione? Imprimuntur impensis auctorum, qui vel sua donant opera, vel si non donant, illa vident à salsamentarijs empta, *ne toga cordillis, ne penula desit Oliuis.*

LXXIII.

Magnus in hoc genere est, nostro quoque tempore Petrus
Veleius, claro (Gaspar) tibi sanguine iunctus,
Et mihi amicitia, quo numquam clarior alter
Montano, cui Montano non charior vllus.
Constamus, paribusque animis, paribusque elementis,
Corporis imparibus modulis, tamen vna voluntas,
Inque bonis vna est sententia, nec malè quicquam
Annuat is, quamuis malè quid me velle putarit.
Ingenio quantum valeat cognouimus omnes,
Cum docto sermone libros componat, vbi omne

Et

Et rerum decus eximium, Veneremque loquendi
Exhibet. Exposuit nuper Sanctissima dicta,
Et vitæ præcepta, quibus Sapientia sese
Insinuat dulci eloquio, blandoque lepore.
Maxima præterea Latio sermone parare
Ingenij monumenta sui non detinet vsque,
Quæ legum, & Iuris nodos exoluere cæcos
Iustitiæ, & faciem possint ostendere certam,
Grataque sermonis species, quo cultior alter,
Quemue suum magis agnoscat Pater ipse Latini
Tullius eloquij, & dulcis Polymnia, non sit.

ADNOTATIO.

AMæna digressiuneula laudat scripta Petri Velei, secum iuncti amicitia, & amore benè scribendi. Quasi velit in eius libris agnosci hæc ipsa expressa, quæ hic noster Auctor pluribus docuit.

LXXIV.

Esto igitur proprij semper sermonis amator,
Et conare nouas non intermittere voces,
Ni Ratio, & rerum nouitas id postulet, vt sic
Dissimules studium, & tantum dixisse puteris
Quæ res ipsa petit pro causa, & pondere causæ,
Esseque solicitum de rebus. Sentiat ipse
Auditor tantum, & pro vero cernere promptum,
Non pro dicendi fuco contendere inani.

ADNOTATIO.

AVream planè doctrinam, dignamque vero Oratore versus allati continent. Docemur cauere à verbis nouis, hac tamen lege, vt liceat innouare verba, si res noua, neque aliter explicabilis id petat. Innouata est vox Bombardæ, quià bellicum illud instrumentum nulla vox latinitatis antiquæ poterat explicare. Eodemque iudicio plures excogitatæ sunt, vt videre potest Lector apud Famianum Stradam, Angelum Gallatium, & Ioannem Maffeium. Cum enim duo primi bella scripserint, in quæ nouæ ex arte militari conuenerint machinæ, & nouæ munitiones antiquis ignotæ, noua pariter expo-

fuere vocabula. Tertius verò, cum ſcriberet de rebus Orbis noui, coactus fuit voces innouare rebus conuenientes nouis. Hoc idem fecere rerum Eccleſiaſticarum politi ſcriptores. Multa ſe illis obtulerunt, ad myſteria, & cæremonias, Religionemque attinentia. Quid igitur fecerunt? Finxerunt ſe viuere illo ſæculo, quo florebat lingua latina: & beneficio Iudicij cogitauerunt, quibus vocibus illi Parentes latinitatis hæc noſtra expoſuiſſent: eaſdemque ſcriptis ſuis inſeruerunt, vtique expectantes, aut cenſuram, aut laudem lectorum. Docemur etiam diſſimulare artem (quod eſſe poteſt illius tantum, qui benè artem teneat, vſu non minus, quàm ſcientia) ne apparentes illius amatores videamur veritatis non eſſe omninò tenaces. Docemur prætereà ità dicere, vt Auditor iudicet, à nobis dici, quæ dicenda (ad leges rectæ rationis) ſunt, non autem ingenij, aut voluntatis. Docemur tandem ità nos gerere, vt appareamus rerum, non autem Verborum, & fuci Orationis amantes. Vtinam hæc intelligant, tum qui ad palmam egregij, aut Scriptoris, aut Oratoris aſpirant: tum qui verba faciens de Religione ad populum, illi tenetur Chriſtum inculcare, & præmia Cœli, pœnaſque Infernales, non autem pueriles, & Rhetoricæ (ſi hoc nomen mæretur) puerilis ineptias, & inſanias.

LXXV.

Idem, vnuſque labor diſquirere conſona rebus
Nomina cum verbis, atque hæc connectere puræ;
Structuramque aptam vocum, & perſæpè receptam
Vſibus auctorum, aut populi in ſermone, referre.
Nam mens occulto connectit ſingula motu,
Connectitque alias res rebus, tempora partes,
Atque modos varios, & cætera proſpicit intus,
Coniungitque agitans, nec ſolum quæque docenda,
Quæque putat diſcenda, ſed vt quoſcunque dolores
Sentiat: & curas, & quæ ſperatque, timetque,
Affectumque omnem mens concipit, inde profari
Percupit, atque parat cognata vocabula rebus
Conceptis, & quam ſeriem, nexumque tenere
Res videt, has ſerie, & nexu coniungere voces
Curat, vt æquales motus, ſimileſque figuras
Alterius menti inſinuet, referatque loquendo.
Ergò opus eſt, proprius verborum conſtet vtrique

Vſus,

Vſus, & ex æquo referatur mentibus vna
Quæ res, quæ rerum ſpecies oſtendat, imago.

ADNOTATIO.

PErfectio dicendi, quatenus reſpicit proprietatem, petit, vt id, quod habetur in mente, verbis ad amuſſim exponatur. Oratio enim nihil eſt aliud, quàm vehiculum earum, qua ſunt in animo ſententiarum. Hanc expoſitionem ad amuſſim ille non faciet, qui perfectè linguam non calleat, ſecundum omnes, & quidem minutiſſimas eius proprietates. Qua de cauſa multi non dicunt, quæ dicenda ſunt; immò neque illa, quæ nollent; cum enim careant verbis proprijs, fieri nequit vt omnia exprimant. Vt autem magis confirmet neceſſitatem ſermonis proprij, ſubdit egregiè Arias, non minus Oratori, quàm Auditori oportere perpectas eſſe proprietates linguæ. Quod adeò certum eſt, vt nulla interpretatione indigeat. Videant iam Oratores, qui loquuntur impropriè, & qui ſprynges, & ænigmata iaculant in aures eorum, à quibus audiuntur, an ſperare poſſint ſe intelligendos? An vna futura ſit, quæ vtriuſque ex æquo mentibus referatur, & quæ res, & quæ rerum ſpecies oſtendat imago? Si quis has chartas euoluerit, diligenter hic hæreat, vt monitum tam neceſſarium altis mentibus inſerat.

LXXVI.

Hanc ſibi Grammatici partem ſumpſere probandam,
Syntaxim græco dicentes nomine, perquam
Optima verborum ſeries, ordoque paratur,
Namque ſolæciſmos cunctos docet illa cauere.

ADNOTATIO.

SYntaxis eſt pars potiſſima proprij ſermonis, cui ſatis non eſt voces habere proprias, ſi earum coniunctio non ſit qualis petit lingua, quam loquuntur. Quo ex capite nemo eſt qui non admiretur Syntaxim Tullianam; non autem tanti faciat Syntaxim aliorum (vtcunque ſint ingenioſi) qui poſt illum venerunt. Vt ſciamus à Tullio vinci (quod ſpectat ad Syntaxim) Plinios, Senecas, Valerios Maximos: multoque magis Panegyriſtas, qui dicuntur antiquorum. Adeòque cum omnes lau-

dem mereantur ingenioſorum, Marcus Tullius (nemini quoad ingenium inferior) maior omnibus eſt in Syntaxi, de qua loquimur. Hanc à Gramaticis diſcere oportet, & in bonis libris recognoſcere, eos diù, noctuque voluendo.

LXXVII.

Nec ſolum plano, & proprio ſermone præfari
Sit ſatis: interdum admittit vel ſchemata, vel quas
Ordinis appellant illi, vocumque figuras,
Quales ſyllepſes varias, & Zeugmata dicunt,
Atque alias, quibus vtuntur perſæpè Poetæ;
Quæque decent arcta conſtrictum compede verſum,
Et noſtros, ſi rara tamen, productaque, docto
Iudicio, acutorumque vſu: nam copia fandi
Liberior quantò fuerit, minus atque ſeueris
Legibus addicta, hoc ſimplex magis, atque modeſta,
Atque minus petulans dicendo debuit eſſe:
Quodque datur veniæ, ne ſtulta licentia fiat,
Et decus in vitium vertatur, ſæpè cauendum eſt.

ADNOTATIO.

NOnnulla attinguntur, quæ competunt ſermoni figurato, etiam intra cancellos Gramaticorum. Quæ innuiſſe hic ſufficiat. Quis enim futurus Orator illa poteſt ignorare? Quædam etiam delibantes propria Poetarum, de quibus Magiſtri poetices ſunt conſulendi. Aliquando licere Oratori (ſed raro, ſed cum Iudicio) vti præindicatis figuris docet Arias. Qui deinde, Orationem ſolutam à vinculis metri, propriamque Oratorum, ait debere minus petulantem eſſe, quàm Poetarum, immò prorſus modeſtam. Quod diligenter eſt Oratori ſeruandum: alioqui ſuos fines egrederetur: & cum careat vinculis poeticis, immeritò vellet illius priuilegijs vti, quorum vnum (neque certè exiguum) in libertate, atque (vti ita dicam) petulantiola ſitum eſt. Alioqui, quod datur veniæ, fieret ſtulta licentia, & decus verteretur in vitium. Vitioſum enim eſt, & valdè vitioſum, ſi Orator ratione ductus, non (vt Poeta) œſtro agitatus, vellet poeticè loqui.

LXXVIII.

LXXVIII.

Sunt etiam quædam linguæ ornamenta, sonoras
Reddere quæ possunt voces, blandèque fluentes,
Quæ facilè obseruare potest, præstareque quisquis
Non nimis obtusa voces præsentiat aure.
Nec labor est magnus curare hæc; magna tamen laus
Id curare fuit, quoniam fastidia multa
Ille cauet quicunque sonum, vocumque nitorem
Prospicit, & curat, ne se collidere voces
Asperiore modo iunctæ, ne offendere linguam
Dicentis possint, auresque ingratiùs vsque
Tentare Vt quandò se consona litera duro
Multiplicat nexu, neque sit sociabilis ipso
Concursu. Exemplis hoc fiet clarius ipsis,
Si dicam: Præsens venias, præstesque petenti
Auxilium magnum, magnisque huc viribus adsis.
Neuè etiam crebris frangatur hiatibus vlla
Formula dicendi, multis vocalibus ora
Multiplici rictu diducat, & hiscere cogat.
Omni ego te officio, atque omni tu amplectere amore
Me, vt reames simili affectu, ingenue atque rependas.
Et crebrò repetita tibi sit littera nulla; vt
Tanta tenet totum tristem turbatio mundum.
Nulla eadem tibi vox fuerit repetenda frequenter,
Assiduè obtundens miseras cum mentibus aures:
Quod ratione nequit rationi ostenditur, illa
Nec ratio dicenda quidem, aut ratione probanda.

ADNOTATIO.

VAria elocutionis vitia hic indicantur, quæ spectant ad collocationem, & iuncturam verborum, Tullio, cæterisque eius imitatoribus familiarissimam. Damnantur collisiones, & asperitates vocum: damnantur voces hiulcam reddentes Orationem: damnatur repetitio eiusdem literæ, & repetitio eiusdem vocis. Hæc vitia exemplis sunt illustrata. Moneo, exempla ab Auctore allata esse huiusmodi, vt vix reperiantur ab ineptissimo vsurpata. Voluit tamen illa tam absurda proponere, vt ex illis appareret faciliùs tum sua doctrina, tum erroris turpitudo. Multò magis moneo cauendum esse ab ite-

ratione, aut repetitione crebra eiuſdem dictionis, quod frequenter euenit minus cauto ſcriptori; ſed cum eius dedecore (eo quod oſtendat ſe laborare inopia vocum,) & cum faſtidio audientium, quibus recoquitur eadem cambre. Moneo denique vnicuique eſſe familiares neſcio quos modos dicendi, & interiectiones, & tranſitiones, quos neſciens effundit tertio quoque, ſi minus, verbo; certè tertia quaque periodo: adeò vt iam caſus auditor poſſit eos expectare. Ciceroni dicitur familiarem fuiſſe clauſulam *eſſe videatur*. Alieno igitur periculo ſe faciat prudentem meus Lector. In ſe ipſum inquirat, vt deprehendat, an in labes huiuſmodi offendat, quæ certè dedecorant Orationem cæteroqui formoſam.

LXXIX.

Illud in his etiam vitijs vitare memento,
Ne ſimili caſu vocis leuitate laborent,
Dum nimium affectas ſonitu componere eodem
Verborum fines: perijt nam pondus, & omnis
Dicendi grauitas. vbi QVICQVAM GRATIVS æque
Ingeris. At VARIIS hominum natura, animuſque
Gaudet, & ex omni variatum parte probamus.
Namque leue eſt nimium, nimium reperiſſe Volentes
Gaudentes, flentes, amentes, fortaſſe & amantes.
Præterea conciſa nimis ſi Oratio conſtet
Partibus exiguis membrorum, & mole minori
Laſſat dicentem crebro conamine, laſſat
Hunc quicunque audit, nec molli tendere greſſu
Permittit, trepido rapiens per ſingula ſaltu.
Hoc Senecæ vitium magnæ præconia laudis
Imminuit, dum crebra nimis ſententia giro
Vix benè clauſa breui Verborum concitat, atque
Angit anhelantem Lectorem ſæpè, rapitque
Præcipitem, ac ſpatij ſemper maioris auentem.

ADNOTATIO.

DVo carpuntur: frequentatio ſimiliter deſinentium, & cadentium (cuius deformitas nata ex affectatione ſoni, ſatis elucet in exemplo, quod allatum eſt) & oratio nimis conciſa; cuius cauſa minus arridet Seneca callentibus artem dicendi. Hac occaſione puto animaduertendum Lectori meo.

Se-

Senecam nullo modo esse assumendum in exemplum Oratoris nam magnus ille vir numquam cogitauit illa ad populum dicere quæ scripsit. Fuit eius consilium eleganti sermone, velutique per aphorismos Philosophiam moralem Romanis tradere. Ità vt allecti libenter legerent, & proficerent: immò fortasse volebat Seneca à Lectore suo sententias breues, quibus sua scripta repleuit, memoriæ mandari, non secus ac si essent versus: quod non ità facilè sperare potuisset, si iusto ambitu fuissent comprehensæ. Cæterum ille modus, quo Seneca vtitur, ineptissimus est Oratori ad populum verba facienti. *Primò* enim non est pronnunciabilis ab Oratore Oratorio ritu. *Secundò* populus non perciperet. *Tertiò* vterque lassaretur enormiter: Constat enim experientia lectorem Senecæ multas eius paginas, immò multas eius periodos non posse breui spatio legere, sed cogi lectionem interrumpere: fatigatur enim mens ab attentione, quæ plurima exigitur ab illo libro. Id autem nascitur, quià illud opus non est elaboratum ad leges naturæ, & popularis capacitatis. Quis enim vnquam (vel sapientissimus) ne ipse quidem Seneca sic loquitur? Si verò loqueretur, esset intolerabilis eius sermo. Populus autem nullo modo se conformare potest illi Orationi, quæ nimis abhorret à quotidiana. Quarè intelligat Lector, scripsisse Senecam elegantissimè, sed neque Oratoriè, neque populariter, neque vt docet Natura. Scripsit scholasticè. Sicut autem nunc temporis nemo sapiens probaret illum, qui formas vsurparet iam admissas in Academijs, continentesque vocabula, quæ sibi fecere propria; ità non esset laudabilis, qui stylum Senecæ ad popularem concionem traduceret: est enim Scholasticus; non minus quàm ille, qui nunc est in vsu Scholarum, licet hic noster sit barbarus, sit incultus, sit omni elegantia, & ornamento destitutus; Senecæ autem omninò huic sit contrarius.

LXXX.

Quod superest quæcunque tibi sententia menti
Insideat, vocum dicenda est ordine, qualem
Natura insinuat: namque illa minoribus vsque
Principijs veniens paulatim surgit, & amplas
Inducens partes tandem rem perficit omnem.
Sic leuiora tibi ponenda vocabula primùm.
Auge etiam maiore sono molimina vocum
Maiora, atque animos crescens percellere tenta:

Vt,

Vt, si quem grauibus vis exagitare querelis,
Moribus impuris dicas, & turpibus ausis
Infamem, sceleris que omnis, fraudisque nefandæ
Exemplum non auditum, sæuumque Tyrannum;
Inuisumque Dijs monstrum, mortalibus atra,
Atque inimica lues, æuique infamia nostri.

A D N O T A T I O.

SEquendam esse naturam in explicanda per voces sententia, præcipit Arias, illas ordinando, vt natura petit. Quod præceptum adeò est necessarium, vt qui ab illo discesserit, omninò sibi persuadere debeat, errare in elementis Oratorijs. Quotiescunque Oratio non est similis Naturæ, tolerari non potest. Non secus ac imago à pictore omni studio elaborata, tunc tandem laudatur, cum naturæ rei, quam suscepit imitandam, conformatur. Si difformetur, omninò damnatur. Quod si aliquis dicat Orationem, qualis effunditur à natura, esse rudem, fieri autem pulcram ab arte: respondeo id esse prorsus falsum. Nam si natura humana loqueretur elegantissimè loqueretur. Qui autem non loquuntur eleganter, ideò sic non loquuntur, quià sunt rudes, sunt impoliti. Orator, vtpotè artifex dicendi, totus est in elaborando suo sermone tanta industria, quanta opus est, vt assimiletur illi, quo vteretur Natura humana, si verba faceret. Certè credibile est Adamum locutum fuisse perfectissimè: idemque præstitisse Salomonem: & omnium optimè Christum Dominum; de quo est vaticinium Dauidis in hæc verba: *Diffusa est gratia in labijs tuis*: & ipsi qui illum audiuerunt professi: sunt: *nunquam sic locutus est homo*. Addo artem benè dicendi, vt insinuat Aristoteles, ortam fuisse ex obseruatione eorum qui benè loquebantur, & eorum qui malè: & inde factam fuisse artem, hoc est complexionem præceptorum, quorum munus est, non fingere sibi sermonem, sed ostendere virtutes, quæ sunt in sermonem inuehendæ, & vitia, quæ ab eodem sunt remouenda. Hæc verò præcepta fundantur in natura: quatenus, obseruatis quibusdam hominibus qui (beneficio bonæ naturæ, quam sortiti fuerant, sitæ in recto iudicio), rectè loquebantur; & obseruatis alijs qui (destituti eo iudicio) malè item loquebantur, statuerunt, loquendum esse vt primi, non autem vt secundi. Solet autem Natura à tenuri principio paulatim surgere; vt patet eius opera consideranti. Hanc vt discamus imitari in Oratio-

ne,

ne, proponit Arias exemplum à ſe elaboratum, in eum finem, vt exagitetur homo moribus impuris. Creſcit in illo vituperando, donec tandem concludat, illum eſſe Infamiam (obſerua vſum abſtractæ vocis, ex qua aliquid valdè creſcit) ſæculi noſtri: quo nihil poteſt ignominioſius fingi. Ex quo intelligat Lector, illi eſſe curandum, vt creſcat Oratio, quò magis progreditur, non autem decreſcat. Maximi viri id obtinent, conſtabitque id attentè eorum ſcripta euoluenti; vbique ſanè, ſed præſertim vbi raciocinantur, & vbi mouent affectus. Tali raciocinio vtuntur, vltrà quod non poſſit prouehi; & illò perducunt affectum, vt nullus relinquatur locus vlteriùs progrediendi. Hac tamen dote libri Prophetarum vincunt quoſcunque vel præſtantiſſimos, tum Oratores, tum Poetas. Neque mirum: Spiritus enim Domini, & Auctor Naturæ, & ipſa Dei Sapientia, quæ mentes eorum impleuit, eorum etiam linguis voces ſuppeditauit, & phraſes, & ordinem, quibus exprimerent ſententias, quas gerebant in mente, etiam ore, & ſermone.

L X X X I.

Interdum tamen & vitium ſplendere decoro
Aſſolet oſtentu, quoties in corpore toto
Vna ſubeſt facies pulcri, ſpecieſque nitorque.
Optat amans variare nimis natura, nec vno
Semper in aſpectu contenta eſt. Aſpice cunctos
In pratis flores, cum terras purpureum ver
Adueniens cœpit vario veſtire colore,
Vt deceat multis diſtincta in partibus: At ſi
Cuncta papaueribus rubeant, vel cuncta liguſtris
Albeſcant, ingrata oculis faſtidia præbent.
Virginis & pulcram faciem, vultumque decorum
Sæpè decet næuus; Sed, vt hic ſit, fingitur arte.
Sic etiam facie in pulcra Sermonis, & omni
Corpore, dicendi vitium irrepſiſſe probatur
In verbis, aut verborum compagibus: idque
Diſſimulare loco fuerit non vltima virtus.
Fallitur Auditor, dum quam ſibi tendier artem
Pertimet, ingenio, & cautus ſibi proſpicit, illam
Neglectam, vitio deprehenſo, iudicat, & ſe
Suſpicione mala ſecurus liberat, atque
Te rebus putat addictum, cauſæque ſtudentem
Neglexiſſe modum vocum, ſermonis & artem.

A D-

ADNOTATIO.

ARs æmulatur Naturam, & vbi aliquid imperfecti in aliquo illius opere inuenit emendare conatur. Hinc Orator debet esse solicitus, vt se conformet in suo sermone Naturæ varietatem enixè quærenti. Propterea ità studeat compositioni, collocationi, iuncturæque vocum, & sermonis elegantiæ, vt aliquandò has omnes pulcritudines opportunè negligat. Difficile est id exequi, si iudicio destituatur ille, ad quem hoc præceptum dirigitur. Vel enim specie negligentiæ bonæ impinget in malam incuriam: vel specie elegantiæ, varietatem, & bonam negligentiam non consequetur. Id adnotauisse proderit saltem, ne contemnantur egregij scriptores, quoties apud illos hæ, quas commendo, negligentiæ deprehendentur: nihil enim est illis artificiosius. Verùm cum in loco vsurpantur, non autem temerè, proderit id obseruauisse, ne huiusmodi negligentijs prauus magnorum virorum imitator suum nimis impleat opus.

LXXXII.

Vna mihi iam dicta satis pars creditur eius,
Eloquium quod sermo vocat Romanus, Athenis
Dicta phrasis, cui tota subest iam gratia fandi,
Quæ puri sermonis habet præcepta, sonumque.
Altera virtutis tantæ dicenda paratur
Pars, Patribus quondam dicta exornatio nostris,
Quæ rerum splendore solet, vocumque nitore
Lumina dicendis apponere magna, animosque
Pertentat, non exiguis, & viribus ipsos
Expugnat, mirisque modis, angitque, rapitque,
Dum vario voces agitat, voluitque rotatu,
Verborumque vires, & vultus commouet omnes:
Atque etiam dum res varijs percellit, agitque,
Atque probat, reprobatque modis, nec semper eodem
Proponit sensu, nec forma perstat in vna.
Hoc studium fuerit duplex, namque altera cura
Verborum, vocumque vsus cognoscere, & artem,
Non quam Grammaticus possit præstare, loquendi
Scilicet & rectè formas, atque ordinis vsum,
Cuius & in nostris transacta est mentio chartis;

Sed

Sed quædam præcepta tibi proponimus, ad quæ
Grammatici non assuescunt; & munera nostræ
Sunt artis tantum: Nam captans commoda vocum
Arbitrio voluit proprio, componit, agitque,
Separat, & multis contemperat omnia formis.
Altera non voces tractat, vocumque figuras
Solicitat, sed res ipsas, & pondera cuncta
Concipit, & varijs affert, monstratque figuris.
Ergò Verborum vna est exornatio, Rerum
Altera: multiplici consistit & vtraque parte,
Quas tibi præscribam, quarumque exempla docebo
Carmine quo potero, quod mens amplexa tenere
Et valeat paucis ediscere versibus; etsi
Non dulci præscripta tibi sint carmine cuncta.

ADNOTATIO.

TRansit Auctor noster ad figuras Verborum, & Sententiarum, quarum cognitio spectat ad Rhetorem, cuius officium est efficere Orationem ornatam. Breuiter, & veluti summatim ostendit quid sit proprium vtriusque classis figurarum; minutiùs illas explicaturus deinceps. Quid sint Verba, siue voces: quid etiam Sententiæ satis constat. Figuræ Verborum, ornant verba: Figuræ Sententiarum, ornant sententias. Quomodo? Efficiendo, vt, quæ sua natura nihil aliud habent quàm affirmationem, & negationem (mens enim intra se id vnum præstat in vnaquaque re) beneficio artis Oratoriæ plures formas induant; quatenus hæ affirmationes, & hæ negationes (quibus contenti sunt Philosophi, homines nequaquam populares) efferantur modò sub vno, modò sub alio aspectu, & petito ab aliquo affectu, siue animi perturbatione. Idque, vt se conformet Orator populo: qui in efferenda suæ mentis sententia, rarò vtitur affirmatione sola, & sola negatione, sed associat illam alicui perturbationi. Ratio est, quià populus non loquitur (ex natura sua) vt doceat, sed vt moueat illum cum quo loquitur, ad præstandum aliquid quod velit. In quo differt à puro Philosopho. Purus Philosophus loquitur, vt doceat Veritatem. Populus si vera loquitur, hæc ipsa loquitur, vt ad suam voluntatem illum trahat, cum quo loquutus est. Quia verò voluntatis est propria perturbatio, hinc est vt perturbationem populus suis sermonibus misceat. Quod igitur sine artificio, & ductu naturæ facit populus, id Orator, ope

ſuæ artis exequitur, quotieſcunque Sententiarum figuras vſurpat.

LXXXIII.

Prima mihi occurrit ſpecies, optatque canendo
Exponi in primis; nam ſedes occupat illa,
Et loca prima petit, repetit quoque primo loquendi
Principia vnde habuit nomen Repetitio. Græcis
Anaphora eſt, partem repetens dicendo priorem: Vt
Alcides Nemees vicit, ſtrauitque Leonem,
Alcides Hydram ingenio confecit, & arte,
Alcides ſæuo. Tauri reſtrinxit & ignes,
Alcides arcu Stymphalida monſtra peremit,
Alcides caſus, & mille pericula vicit.

ADNOTATIO.

FAcillima eſt huius, aliarumque figurarum ad Verba ſpectantium doctrina. Circa quam, meus Lector eſt admonendus, has quoque figuras fundari in motibus animi: & proinde ſi eas adhibeamus, ſed non appareat ab animo proficiſci, erunt inſulſiſſimæ. Repetitio eſt effectus animi valdè commoti: qui cum ſibi non videatur ſuam ſatis mentem aperuiſſe ſemel nominata re quapiam, illam ſæpiùs repetit, vt ſibi hac repetitione ſatisfaciat. Quod hic volui declarare, vt conſtet eatenus eſſe Orationem pulcram, quatenus aliquid animi, quod pariter ſit pulcrum refert. Pulcrum autem apud homines eſt, etiam id quod eſt terribile: etiam quod eſt flebile. Quæ addidi, vt indicarem pulcritudinem Orationis exurgere præſertim ex aliqua perturbatione animi, quæ appareat in dicente. Sicut tabulæ pictorum ſunt egregiæ, in quibus aliquid animi eluceat, à quo reddantur ſimiles Naturæ.

LXXXIV.

Sæpiùs extremum repetit Conuerſio Verbum:
Hanc Anadiploſim Græci dixere diſerti: Vt
Annibal Italiam VICIT, armiſque doliſque
Vicit, & ingenio, conſtanti & pectore VICIT.

AD-

ADNOTATIO.

ETiam in hac figura cernitur animi quædam commotio: quæ in vniuerſum contingere dicitur, quandò diſcedit à ſua tranquillitate, in eo conſiſtente, vt quietè affirmet, & neget. In cuius rei ſignum, Magiſtri, qui docent, id faciunt ſedendo, non vt Oratores ſe mouendo, & per ſuggeſtum diſcurrendo. Exprimunt enim hoc ſitu corporis quieto, nec agitato, animi quietem nulla perturbatione commoti. Qui legerit Angelica Diui Thomæ Aquinatis opera, hanc docentis tranquillitatem, quietem, & ſerenitatem, de qua loquor, deprehendet: & percipiet, quàm verè etiam in figuris, quas Rhetores appellant Verborum, ſit aliqua (qualiſcunque tandem ſit) commotio animi. Quod ſicuti hic placuit commemorare, ſic deinde parcam in alijs, quæ ſequenter figuris oſtendere. Hæ animi (præſertim variæ) commotiones reddunt ornatam Orationem; ità vt Ciceroniano videatur eſſe continuum quoddam, ex hac varietate, Dramma, & Theatrum.

LXXXV.

Complexa eſt duplex Verbum Complexio: Vtrinque
Principium, & finem dicti conterminat: eſtque
Illa loco facies dicendi pulcra, decenſque: Vt
Vnde Doli, fraudeſque malæ ſunt? Propter amorem:
Vnde perit pietas, & virtus? Propter amorem.
Sæpiùs at ſpecies, quæ verbum duplicat vnum
(Vt deceat tamen, & creſcat Sententia) nomen
Conueniens meritò huic parti dat Duplico Verbum.
Vt: Verres quicquam eſſe poteſt? quidnam niſi Verres?
Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum
Viuere iucundum eſt: ſed dum ſit Viuere honeſtum,
Nam minus id ſi ſit, non eſt mihi Viuere tanti.
Hæc repetita tibi ratio Traductio dicta eſt;
Iudicio tamen, vt deceat, tractata probatur.

ADNOTATIO.

SVprà improbauit Auctor eiuſdem vocis frequentem repetitionem: hìc autem eam laudat. Quare? quià, vbi improbatur, nullum eſt artificium: vbi autem laudatur eſt Artificium.

cium. Ecquod? Hoc: vt Sententia viuacior appareat: quod obtinet ex repetitione Verbi profecti ab animo perturbato: quam perturbationem non habet ille, qui repetit sine vllo artificio Verbum. Ex quo, videat meus Lector, quantum possit animi affectio elucens in Oratione: reddit elegans id, quod cæteroqui est inelegans. Inelegans est repetitio vocis, in qua nulla sit affectio animi; fit elegans, cum adest.

LXXXVI.

Articulus multis succrescens vocibus, & quas
Nulla tamen nectat coniungens copula partes:
Vt: Veni, vidi, vici: Sermone, sonoque,
Vocibus, ardenti vultu conterruit hostem.
Quæ simili casu referuntur plura loquenti
Illa cadunt, similique modo, nomenque receptant:
Commendas hominem tantum mihi laudis egentem
Quantum ego cognoui sceleratæ fraudis habentem.
Huic similis fermè & species, quandò omnia fines
Membra tenent similes & pars sibi consonat omnis
Vicinum referens sonitum, similemque tenorem.
Inuidiosa mihi sunt, quæ tu cuncta parasti
Quæ studiosa tibi, & quæ tu tibi pulcra putasti.
Parciùs hac tamen vtendum (mihi credito) forma.
Eleuat assiduè repetita hæc sæpè loquentis
Momenta, & pondus, doctis neque conuenit vsque
Auribus: hanc nostro repetentes sæpiùs æuo
Auctores grauitate carent, vt epistola multa
Mondomidæ ostendit tibi Præsulis, Aureliusque.
Membra vocant quæcunque breui sunt integra sensu,
Exiguo & giro clauduntur, & excipiunt se,
Respondentque sibi: Vt: Nec tu tibi consulis vnquam,
Et facis, vt noster rectè sibi consulat hostis:
Et patriæ officium non præstas. His tribus vsque
Hæc constare potest membris, neque plura petenda.
Compar est totidem numeris ornata figura,
Quæ sibi consimili iungit res pondere vocum: Vt
Bella parant alij, tristes agitantque tumultus,
Festa colunt alij, mensasque, epulasque frequentant.
Paranomon dictum vicino ex nomine ludet,
Conciliat dictis Venerem, cum sorte, locoque
Accidit; Vt: Falsi quidam dixere Meronem

Cui

Cui nomen verum dederat gens prisca Neronis.
Sic etiam amentes Dauus compellat amantes.
Est etiam quædam fingendi nomina virtus,
Quæ voces petat à rebus; sentire putabis
Res ipsas, non verba modò demissa per aures:
Hinnit equus, rapidique ruunt de montibus amnes.
Rara quidem nos hæc: sed græca licentia fingit
Vberiore modo, cunctis pars nota Poetis.
Antonomos propria nil dicens voce, trahensque
Exterius nomen: nam si quis dicere Homerum
Tendit, Mæonidem dicit, dicitque Poetam,
Et Sapiens, dulcique senex, vicinus Hymetto.
Cognatis aliud partes denominat omnes
Vocibus, à proprijs tantum abstinet; haud tamen est res
Clara minus: Bacchum cum sentis dicere vinum,
Et fruges Cererem, iure hoc agnosce petitum.
His similis mihi se demonstrat Abusio, cuius
Arbitrio improprijs est quisquam vocibus vsus,
Et cognata petit iam certis, legitimisque
Depositis: Numerum dicens prò pondere, Pondus
Prò numero, breuibusque solet confundere pauca.
Sæpè etiam dum festinant, seseque vicissim
Impediunt, properantque nimis prodire laborant
Verba, neque integro prorumpunt omnia sensu:
Vnde fit, vt desit verbum, cuius tamen ipsa
Postulet officium constans Oratio; siue id
Præcipiti affectu dicentibus impediatur,
Dum feruet, trepidatque nimis mens, linguaque non quit
Excipere hæc tam multa nimis simulacra loquendo,
Quæ cupiens efferre animus, tantumque morari
Impatiens efferre tamen conatur, at ipso
Impete præcipiunt egressus vltima verba,
Primaque deficiunt, vnde hæc DEFECTIO dicta est.
Cum magis affectu, atque tono, vocisque tenore
Quàm verbis quisquam se se exprimit, aut retinendo
Dimittit, reticetque aliquid, cuius mihi sensus
Difficilis nimium non sit, Reticentia Verbi
Dicta olim; pars hæc multum cognata priori.
Te nè ego, qui primus stygios inuisere lucos
Debueram, lethique graues habitare tenebras?
Hoc primæ exemplum formæ: Ast hoc alterius sit:
Per superùm sedes iuro, per fulmina magni

Patris, & astra simul radiantia nocte serena,
Si non fraude mihi raptos fur pessime Tauros.
Sed quid opus iurare? Dabis, dabis improbe pœnas.
Vltima, quæ in verbis nobis ponenda figura est
Multum habet & Veneris, cum certa inducitur arte,
Estque frequens Vulgi sermonibus: inde tamen non
Sit repetenda tibi temerè: at tu prouidus illam
Iudicio admittas docto; nam sæpè figura
Displicet, ingratumque facit quod dicimus: vt si
Assidua, aut nimis obscura, aut deducta remotis
A rebus, nostroque nimis distantibus vsu,
Nomen, & huic dictum sit Permutatio parti.
Scilicet à proprijs quandò quis vocibus audet
Diuertisse, petens similes res, verbaque promit
A simili rerum facie, & virtutibus ijsdem,
Seù vitijs, augetque modum, minuitque loquendo,
A viuis ad viua trahens, ad viuaque rursus
Non animata ferens, omnique carentia sensu.
Rursus ad hæc queis viua deest viuentia flectit;
Et genere in simili componit inania vitæ:
Vt durum si quis socium, silicemque vocarit,
Qui robur, rigidoque ferat præcordia ferro:
Moribus aut sæuis quemquam esse Lycaona dicat,
Siue Lupum, fraudesque petat cognomine vulpis:
Seù fluere hunc animo dicat quicunque timore
Concutitur; namque hæc non solum nomine ducta est
Forma, sed in verbis etiam sua iura frequentat.

ADNOTATIO.

OMnia, quæ continentur intrà numerum marginalem 1455. sunt apertissima, & nulla indigent expositione. Quæ deinde incipiunt à versu: *Vltima, quæ in Verbis nobis ponenda figura est*, vsque ad versum 1480. indigent aliqua illustratione. Docet Auctor noster nonnulla spectantia ad metaphoram, beneficio cuius valdè ornatur Oratio: quatenus sententia, cæteroqui simplex explicatur per rem illi sententiæ extraneam: ex quo duplex bonum exoritur. *Primò* mens lectoris duo eodem tempore discit, & quidem sine labore: discit sententiam, & discit id, quo per metaphoram illuminatur, ornaturque sententia. Si enim E. gr. ego dixerim crudum aliquem hominem esse Lycaona, esse Neronem &c. ecce duo disco & illum esse

cru-

crudum, & fabulam Lycaonis. Euenitque metaphoricè loquenti id quod euenit condienti cibos: qui enim cibos condit, duplicem eodem tempore delectationem comedenti præbet; aliam quæ nascitur ex cibo, aliam quæ ex condimento. *Secundò* sententia, quæ cæteroqui (cum sit opus mentis quæ non cadit sub sensum) esset insensibilis, subtilis, & minimè popularis, adeòque inornata, sit sensibilis. Benè tamen monet, vsum metaphoræ (quam nomine Permutationis appellat) opus habere iudicio, alioqui fiet violenta (quibus non se conformat natura) intolerabilis. Monet translationem fieri quatuor tritisque modis: cum vox aliqua transfertur ab animato ad animatum: ab inanimato ad inanimatum: ab inanimato ad animatum: & rursum ab animatum. Monet denique fieri etiam translationem non in solis nominibus, sed etiam in Verbis, vt si aliquis dicat, timidi *fluere* præ timore præcordia, quod verissimum est. His omnibus addo, vsurpanti metaphoram debere esse prospectum, illam esse ornamentum, adeòque alicuius ornamentum. Propterea si desit sententia, quæ est id quod ornatur, esset ornamentum sine re ornata, quod esset frustratorium, & inane. Non secus atque inane est, & nugatorium habere coronam tabulæ, siue picturæ, si desit pictura, in cuius gratiam elaborata fuit corona. Quod diligenter obseruandum est, in ijs omnibus, quæ sunt ornamenta Orationis. Addo prætereà metaphoram oportere esse verecundam, quià extranea est, & vsurpatur loco vocabuli proprij; vel quià hoc desideratur, vel quià videtur esse opportunior vox metaphorica, quàm propria. Proinde audaces metaphoræ pariunt aut fastidium, aut contemptum. Hoc etiam addo metaphoris aspergendam esse Orationem, non autem saturandam: alioqui qui totus esset metaphoricus ostenderet se aut in argumento versari verbis proprijs non explicabili, aut se laborare verborum propriorum inopia. Neque omittendum est bonam metaphoræ formationem pendere à scientia, & cognitione vocabulorum propriorum: & proinde qui studet elegantibus metaphoris, studeat proprietati linguæ: alioqui eueniet illi sæpè malè transferre, vt patet. Denique moneo metaphoram ostendere, tum mores illam vsurpantis, tum affectum, immò iudicium, & ingenium. Namque vnusquisque prò moribus, quibus est imbutus, transfert; item pròut est affectus: & tandem prò viribus ingenij sui, & sui iudicij. Quod hic breuiter indicatum adiuuare potest adolescentem, vt vsurpaturus metaphoras videat, ne se contemptibilem reddat, & suam sententiam de-

turpet, & obſcuret. Certè neque deturpata, neque obſcurata dici poteſt ornamenta habere ſententia; ſi minus poſitiua, certè negatiua, vt cum Scholaſticis loquar.

LXXXVII.

Nec ſolum à ſimili ſpecie dicendo ciemus
Nomina, ſed quandoque etiam vel non ſine magno
Ornatu petimus contraria nomina rebus.
Ac velut irriſu, atque ioco perſæpe vocamus
Vrbanum Scurram: parcum quoque dicimus illum,
Qui ſua turbarit turpi patrimonia luxu:
Multaque, quæ longum foret ennumerare canendo;
Quæque libris vt vis poteris, ſermoneque vulgi
Excipere, atque alta doctus componere mente:
Quippè etenim ratio vna patet dicentibus vſque,
Et ſuperat cunctas, numeroque, vſuque frequenti
Quaſcunque in ſermone vides ſupereſſe figuras.

ADNOTATIO.

DVo, quæ ſunt digna conſideratione hìc habeat meus Lector. *Alterum* metaphoras quàm plures diſci poſſe, ſi obſeruentur quæ contingunt in ſermone familiari: illi enim ſermoni plures, & frequentes metaphoræ, etiam in ore vulgi, contingunt. Quarè ſi futurus Orator attendat, quæ dicuntur quotidiè, diſcet multas metaphoras. Præſertim ſi obſeruet eos, qui aliqua perturbatione ſunt affecti, magis autem mulieres. Nam docente natura erumpunt in metaphoras ingenioſiſſimas: & prò qualitate morum, etiam moratas. Et hinc videat quoque meus Lector, totam dicendi artem inniti naturæ fundamento, quod ſæpiùs repetere, omninò puto proficuum, omninò neceſſarium. *Alterum* figuras carere numero: quamquam enim magiſtri dicendi tum græci, tum latini catalogum figurarum ediderint, non tamen omnes complexi fuerunt, ſed quaſdam ſolum, vt excitarent adoleſcentum ingenium. Cæterum, & ſunt innumeræ; & illæ ipſæ figuræ, quarum ſyllabum habemus apud Præceptores Oratoriæ facultatis variјſſimè poſſunt vſurpari. Videat lector ea, quæ ſuprà adnotaui numero XLV. Diſcet, cum figura ſit effectus alicuius affectus, tanta erit, quanta eſt variatio affectus. Quis autem comprehendat quot modis variari poſſit affectus, & ab
vno-

vnoquoque qui eodem teneatur affectu? Comprehendi non potest: cum vnus, & idem affectus diuersissimè pro diuersitate animi, corporis, humorum, propensionis, educationis, scientiæ, inscientiæ tractetur. Certè diuersimodè eiulat vnusquisque: vnusquisque suo proprio, & indiuiduo modo, intensiore, remissiore, dolet, gaudet, irascitur &c. hosque affectus diuersa sui corporis conformatione declarat: diuersimodè protendens, aut retrahens brachia: diuersimodè attollens, & dimittens oculos: diuersimodè corrugans, & explanans frontem &c. Quæ hic idcircò attuli, vt Adolescenti claram facerem doctrinam variandæ figuræ, quæ plusquam dici potest confert ad ornandam Orationem, & ità ornandam, vt nulla appareat affectatio, ex qua frigiditas Orationis nascitur. Legat eos concionatores, qui artem Rhetoricam benè tenuerunt. Inter quos puto numerandos (omnes enim non possumus recensere) Patrem Aluysium Albricium: Patrem Ioannem Rho: Patrem Aloysium Iuglares: Patrem Paulum Segnerum: à quibus multa discet ad hanc variationem figuræ valdè conducentici. Sicut etiam ab Augustino Mascardo, à Patre Daniele Bartolo, & à Patre Annibale Leonardellio. Omnes enim artem Rhetoricam ex ipsis fontibus apparet didicisse; sicut etiam à Patre Francisco Zaccaronio.

LXXXVIII.

Vt tamen admonitus distinguat singula, detque
Partibus ipsa suis proprias cum nomine formas
Te, breuibus, partem duplicemque, vsumque docebo.
Nam si aliena tibi sunt pauca vocabula rebus
Traducta ex alijs, proprijsque adiuncta loquendo,
Nec latet ex omni res, & sententia mente,
Sed quædam simulacra sui, partesque videre
Permittat, simplex hæc sit Translatio, nota
Omnibus: vt Florens ætate & Feruidus ira.
Hæc eadem si perpetuo ipsa tenore latebit,
Vndique collatis alienis Vocibus, vt non
Sit satis accipere hæc quæ sunt tibi cunque probata,
Vt certus pateat sensus, sed imagine in illa
Discutienda tibi sint omnia nomina, vt altè
Explicita, & veros ostendant singula sensus,
Et finem, quem dicendo respexrat Auctor;
Hæc dicenda tibi est Intentio: scilicet, in qua

Verba aliud monstrant, aliud sententia dicit:
Claudite iam riuos pueri sat prata biberunt,
Multaque quæ nostris sic sunt cantata Poetis.

ADNOTATIO.

DOcetur hic quid sit simplex Translatio; quid autem Allegoria, siue inuentio. Exemplis vtriusque allatis patet doctrina.

LXXXIX.

Nulla voluminibus sacris repetita figura
Est magis, vt Vatum libri testantur, & illa
Carmina Iessidæ plectro modulata Poetæ,
Diuinis quandò flammis agitantur, & alta
Concipiunt animo mysteria; surgere cernis
Verba per æthereas auras, & crescere in alta
Sidera, principijque sui momenta referre;
Protinus humanumque omnem peruincere captum.
Hæc tibi adoranda in primis proponimus, atque
Non temerè tentanda, priusquam Numina supplex
Exores, mentesque petas tam grandibus aptam
Responsis: simul assiduum, studiumque, laboremque
Impendas: tecum meditare, atque omnia Patrum,
Qui doctrina olim celebres, pietate probati
Sedulus euoluas commenta. O magna beata,
Et superos meditata Choros productio Vitæ,
Nocte, dieque sacras attentè euoluere chartas,
Auribus atque Deum humanis audire loquentem,
Consilijs Superumque admitti, certaque tandem,
Sanctaque doctrinæ veræ præcepta tenere,
Vnde animo lucem admoueas, qua tendere gressus,
Et vitæ peragrare vias, possitque labores
Vincere, difficiles curas, atque ardua cuncta,
In Superas donec sedes, patriamque piorum
Contingat tolli, æternamque habitare quietem!

ADNOTATIO.

QVæ docuit Arias, hic illustrat, amandando Lectorem ad Sacros Diuinæ Scripturæ libros, præsertim prophetales,

tales, qui pleni sunt Translationibus omnem ingenij humani studium vincentibus. Et certè tanto viro credendum est; cum illi ex longo, doctissimoque studio notissima fuerint sacrosancta Biblia. Ego qui duodecim annis vacaui ex munere à meis maioribus mihi imposito Diuinos libros interpretandi (cum cæteroqui viginti, & vnum impenderim literis humanioribus tradendis) sanctè asseuerare possum, plus disci elegantiæ ab vno Prophetarum, quàm à quocunque Oratore prophano. Ea de causa Sancti Patres, qui præditi ingenio, doctrinaque imbuti puram ab omni vitio mentem sacris voluminibus applicuerunt, tam benè scripserunt, & dixerunt, vt certè vicerint Græcos, Romanosque Oratores. Fortasse non omnes assecuti sunt proprietatem linguæ aut Demosthenis, aut Tullij, cum non vixerint sæculis melioribus Idiomatis græci, aut latini (quod commune fuit alijs quoque scriptoribus, qui post illa sæcula floruerunt) cæterum quod spectat ad metaphoras, & reliqua ingeniorum lumina, eminent Christiani, de quibus loquor, homines suprà prophanos. Neque mirandum id videri debet consideranti adiutos fuisse à probitate vitæ (valde conducente ad Oratorem faciendum, qui etiam ab Ethnicis definitus fuit Vir bonus, dicendi peritus) & à continuo Diuinorum librorum studio, ex quibus Deus afflauit eorum mentes, vt implerent paginas sententijs eximijs, linguasque soluerent in sermones tum elegantissimos, omni, veraque vtilitate plenos. Qui non credit, experiatur.

X C.

Hactenus in verbis, tibi quæ sunt cunque figuræ
Musa dedit, tentatque alias euoluere formas,
Ornatusque alios, quibus aut sententia surgit,
Aut meliore modo procedit, & vndique vires,
Aut decus, & pondus sibi conciliare laborat,
Mille modis varians artem, & fastidia pellens,
Et tentans animos omni peruincere mole.

ADNOTATIO.

TRansit Auctor à figuris Verborum ad figuras Sententiarum, hicque aperit finem, cur inuentæ sint tot figuræ; aitque esse inuentas; *primò* vt sententia surgat: hoc est à modo dicendi minus plausibili, & minorem attentionem sibi compa-

randi discedat. *Secundò* meliore modo procedat; qui vtique melior est, quandò aliqua figura opportunè vestitur. *Tertiò* vt conciliet sibi sententia *Vires*, *Decus*, *&* *Pondus*: quæ tria bona consequitur quoties figuratè effertur. Figura enim (vt aliàs dixi) est effectus alicuius affectus: Sicuti autem affectus est validus, validusque effectus validi affectus; ità vires, efficaciamque suam refundit in sententiam. Quæ vires, & quæ efficacia consistit in impressione animi, quam parit sententia figuratè proposita. Vtique alia vis dicentis, *tu es monstrum*, à dicente: *O monstrum!* Vel *Quis tale monstrum aspexit?* Vel *perdant te Superi monstrum omnium monstrosissimum*. *Quartò* vt varietur ars, neque appareat. *Quintò* vt tollatur fastidium, quod nasceretur, si eodem modo, tenoreque integra Oratio procederet. Addo, vt maximè fiat naturalis, adeòque maximè artificiosa Oratio; quæ talis est, quandò modò sub vna, modò sub alia figura procedit: sic enim imitatur natura, qua nihil fęcundius in varianda figura dicendi, etiam in quotidiano, familiarique sermone; qui (si considerabitur) apparet & incredibili varietate figurarum plenissimus.

X C I.

In quibus ecce rogat primum se Pysma referri,
Quæstio nomen habens, muris benè nota Latinis.
Forma rogans semper, non vt quid discere tentet
(Non etenim didicisse parat) sed quærere ab hoste
Quò magis impellat quærendo, aut Iudicis iram
Excitet, adstantes, rapiatque, trahatque rogando.
An semper fortuna tibi parere Tyranne
Debuerit? Quandò finem, quas ipse parasti
Fraudibus, atque dolis impones, vimque remittes?
Mox huic respondens sequitur Subiectio, cuius
Officium est, quod tutè petas, vel postulat hostis
Respondere tibi, atque alios præuertere dictis:
Præuentum poteris simul hanc dixisse figuram:
Is nè tibi Sapiens, quem si Sapientia cultu
Ornaret proprio, numquam tot adire labores;
Diuitias, & opes propter, vulgique fauorem
Tentaret: potius peteret secreta camœnis
Addictus, misero præsertim tempore, quandò
Et Virtutis honor iacet, & sua propria laudi
Deficiunt, tantumque valet violentia, frausque.

Af-

Affectu commota venit, sesesque canendam
Obijcit indigno mæsta Exclamatio vultu
Ora ferens ira excandentis plena doloris.
Compellans, fremituque ciens, hominesque, Deosque;
Tempora vel mores, ciues, Vrbemque, locumque,
Resque alias quibus ostendit se offendier, aut quos
Consulit, atque citat testes, vel postulat horum
Auxilium, tentatque suos lenire dolores.
O superi, quorum Numen, terræque, marisque
Infernique tremunt Reges, auertite quæso
Tantum immane nefas nostris auertite regnis.
Sit satis, heù miseros tantis erroribus actos
Germanos, dum Martini præcepta sequuntur,
Deseruisse viam virtutis, certaque iustæ
Præmia militiæ æternas perdìsse coronas.
O superi reuocate precor, miserosque docete
Certum iter, & longè meliorem reddite mentem.
Huic generi affinis fuit Acclamatio, cuius
Officium est, dum res perpendit, iudicioque
Ennumerat rerum causas, momentaque cuncta
Colligere in pondus certum, & molimina certa,
Inde monere alios, & pondera cuncta docere.
Vt: Snperas sedes liquisse, atque ætheris alti
Regna beata nimis, nullisque obnoxia curis,
Et terras mortali olim coluisse figura,
Et cælasse Deum vilis sub imagine Serui,
Non satis hoc tibi Nazaride, & tot adisse labores,
Totque homines sanasse ægros, & faucibus Orci
Tot rapuisse viros, placidæ quoque præmia vitæ,
Insigni pietate illis tam multa dedisse.
Dumque doces præcepta homines diuina, quis vnquam
Pondere curarum, atque opera maiore docendo
Perfunctus, vigil & satagens, noctuque, diuque?
Non satis hoc: sed deformem post omnia mortem,
Infamesque Cruces, culparum opprobria cuncta
Non dubitas perferre, nec inde subire sepulcrum,
Atque Erebi pallentem vmbram, noctemque profundam
Visere, funestasque Stygis peragrare Tenebras:
TANTVS amor nostri, scelerisque piamina tanta.

ADNOTATIO.

PLacet tantisper hic meum Lectorem morari, vt videat figuras sententiarum hactenus commemoratas esse effectus, variorum affectuum. Consequens etiam erat, vt procederent ex præmissa raciocinatione, vt sic appareret Auditoribus, Oratorem non erupisse in effectus illorum affectuum, nisi à ratione ad eos impellerentur. Consideret Lector hæc, quæ dico; deinde antè oculos suos posita Interrogatione: posita Subiectione: posita Exclamatione: posita Acclamatione, cognoscet oportere illas ex plenitudine alicuius affectus erumpere: alioqui absurdissimum esset illis se tradere. Quod si illis se tradit Orator, id facit, quia à ratione cogitur. Ideòque pulcræ sunt figuræ, & efficaces. Secus essent ridiculæ, & nullarum virium. Atque hinc patebit diuerso modo illis vti hominem figuris, & Iuuenem: hominem dico exercitatum. & suo sibi præsentem ingenio. Iuuenis illas vsurpat nulla præuia raciocinatione, adeòque frigidissimè. Non ità vir arte præditus.

XCII.

His etiam est coniuncta mihi Insultatio amara,
Viscera concutiens, risu quæque exprobrat hosti
Vota, aut fortunam, quæ & res metitur ab ipso
Euentu, non admittens causamuè, animumuè,
Stultitiam irridens votorum: sæpiùs autem
Insultans miseris, quorum tristissima fata:
I modò, & Oceani fluctus, & tristia monstra
Neptunum patere iratum, & discrimina vitæ
Vltima pertuleris mundum peragrandò remotum,
Et regno, & nostro nimium distantia Cœlo,
Vt tumidus rediens auro per crimina parto
In tumidis animum demittas naufragus vndis:
En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens, fert Musa Maronis.
Ambigit Orator nonnumquam quam petat omni
Ex numero rerum, aut vocum quæcunque sibi sunt,
Obrui prò causæ ratione, & pondere, quamuis
Multa quidem, tamen ignorat quidnam eligat, & sic
Auget idem, causæque modos exaggerat altè:
Nomen & huic fuerit Dubitatio formæ.

Qui

Qui populos turbat dictis, qui Religionem
Peruertit, Superosque suis in sedibus audet
Solicitare, nouas faciesque inducere mundo
Nititur, inque homines discordia semina miscet
Sacrilegusne mihi dicetur? An impius? Anne
Filius Eumenidum? Quo tandem nomine possim
Compellare, mihi incertum, nam cuncta minora
Sunt scelere, & furijs hominis, quæ nomina cunque
Nota mihi, extremas etiam signantia pestes.
Sæpiùs Orator causam communicat hosti,
Iudicibusque suis, & cunctos consulit; illis
Proponit causam, & quidnam sibi quisque pararet,
In simili casu positus si fortè fuisset
Quærit, & hoc pacto proprias defendere partes
Nititur, à simili trahit argumenta periclo;
Nam tibi quod cupias ignosces, si cupit alter.
Vt tibi si insidias fieri fortasse videres,
Intendique necem, quam nullo euadere cursu
Nec ratione alia posses, quàm vulnere, nec tunc
Arma tibi nihil expectanti cætera adessent,
An dubitas torquere tamen quæque obuia saxa? &
Quem non sustineat inimicum cominus impar
Eminus euites: vetat hoc Natura negari:
Dicenda est nostris hæc PARTICIPATIO *musis;*
Multa etiam solet Orator permittere sæpè
Iudicibus siue aduersis censenda, vbi causæ
Fidit, & ostendit tantum, nec disputat ipsis
Libera permittens suffragia scilicet, & se
Dissimulans nil velle illis censere, nec vlla
Pondera perspicere, aut verbis non plura morari.
Hæc & ab antiquis Permissio dicta figura est.
Vt: Quantum foret ò satius cum serpere cœpit
Hæc inimica lues, populos quæ perdidit omnes
Teutonicos, tantis obsisteret antè malis, quàm
Missus ad hoc fuerat feruentem vt sisteret hostem?
Dicite vos, pia turba, Patres, perpendite quantum
Tunc melius foret hanc penitus restinguere flammam.
Vnde ortum tanta cœpere incendia; Vos iam
Dicite, non iterum hic sum dicere plura paratus
Iam se se audaci producta Licentia fronte
Flagitat à nobis dici, nec plura morari
Sustinet; expediam quarè hanc, nam libera cum sit

Parendum quidquid cupiat, vel multa ferenda
Infræni quæcunque velit producere lingua.
Hæc igitur persæpe sibi complura licere
Liberiùs dixisse petit, quàm tempora, vel res,
Vel persona ferat præsens, cum qua sibi sermo est:
Acribus interdum Verbis hæc vtitur, atque
Nil verita exponit quidquid conceperit in se.
Mox vbi contactos animos præsentit amaro
Verborum ductu, rursus lenire laborat,
Atque ità rem tractat, non vt reuerentia causam
Perdat, & imminuat præstantia pondera rerum;
Lenit & hæc rursus, libertatemque loquendi
Temperat, inuidiam causæ quò auertat, & iras
Iudicis inflectat conceptas, commoda tandem
Procurat causæ dum miscet libera blandis.
Vt: Te (fabor enim) Iudex vitare parabam
Cum tibi iam mites animos superesse putarem,
Huius vt inuidiam contemnere posse Tyranni
Non posses, facinusque hominis compescere vero
Iudicio: At postquam, qua sis probitate rogarem
Qua mente instructus, quanta ratione valeres,
Et miseris quantum auxilium persæpè tulisses,
Et didici tam multa tuæ præconia laudis,
Iustitiæ quàm sancta tibi sint munera, quamque
Intrepidus sceleri obsistas; Felicia, dixi,
Sæcula, meque etiam, fateor dixisse beatum,
Cui tali Censore agere, & cui contigit ipso
Iudicio in quemcunque velim quæcunque profari.

ADNOTATIO.

FIguræ, quas ostendit hactenus Arias, sunt ab ipso egregiè elucidatæ, quantum patitur metrum, cui se alligauit. Ex omnibus confirmo quod docui; omnes, Sententiarum præsertim, figuras esse imitationes naturæ humanæ affectibus, siue perturbationibus agitatæ, quæ vel sine vllo Oratorum artificio in illas egrediuntur. Orator totus est in imitanda natura: quatenus alienum negotium, in causis, quas suscipit (aut defendens, aut accusans) agens, ità dicit, vt velit credi dicere ex animo. Hanc opinionem vt consequatur, oportet eum dicere vt diceret, si causa quam agit esset propria. Si huiusmodi esset agitaretur illis affectibus, à quibus nullo negotio suppeditarentur

tur figuræ, modò hæ, & modò aliæ pro opportunitate rei. Natura enim se non derelinquit.

XCIII.

Gratia nec minor est illi concessa figuræ,
Cum quis sermonem auertit, seriemque loquendi,
Absentesque petit verbis, atque aduocat, vt sic
Opprimat aduersos, affectusque excitet altos
Iudicibus, causæque paret, pondusque fidemque.
Vt: Priscos Patres Vates olim, Patresque, Ducesque,
Et sacris quæcunque leguntur nomina libris,
Discipulosque nouæ legis, tuque optime Christe
Bacchantis Martini infandos aduoco in vsus.
Vos benefacta simul docuistis iuncta, fidemque,
Et penitus partem dictis sociastis vtramque;
Nec, nisi promissis Diuinis crediderit quis,
Et dictis quæcunque liber proponit vterque,
Efficiat quæcunque volet, quemcunque laborem
Expleat, at pereunt quæ non coniuncta fide sunt.
Si credat, valeatque fide, & transmittere Montes,
Et lunam claro possit deducere Cœlo,
Sed sterilis, nullisque decens virtutibus, omni
Cassus ope, ornatuque operum, damnatus abibit
Iudicio Superum æternas habitare tenebras.
Et tamen ausus eras Martine insane docendo
Ignauos fecisse homines, dum præmia nulla
Esse doces rectè factis. Quid defuit ergò,
Vt Superos humana etiam curare negares?
Hæc igitur dicenda tibi est Auersio forma,
Quæ subitò mutat personam sæpè loquendo.

ADNOTATIO.

HActenus locutus est Arias de Apostrophe, siue Auersione, quæ definiri solet *sermo auersus à Iudice*. Nobilissima planè figura, & orta ab animo vehementer commoto: qui desperans à Iudice suo exaudiendum, ad alios quicunque sint, sermonem conuertit. Cæterum hæc ipsa figuræ huius nobilitas efficit, vt multi ab illa pellecti, illam, sed malè vsurpent. Vsurpari debet in calore Orationis, & postquam plura ad Iudicem suum locutus Orator, fingit se ab illo non audiri, hoc est ex-

exaudiri. Id multi non attendentes vſurpant illam in ipſo Orationis principio, adeòque Verba faciunt cum ignoto Auditoribus. Alij in decurſu Orationis auertunt ſe à ſuo Auditore, qui (præſertim in Orationibus extrà forum habitis) eſt ſuus Iudex, & alloquuntur perſonas idæales, & planè fictas; vt Famam, Regna, Prouincias, Virtutes, Vitia &c. & interdum tamdiù cum illis loquendo verſantur, vt planè videantur obliti Auditorum ſuorum: cum tamen vnum ex neceſſarijs Oratori artificijs ſit, alloqui Auditorem, quem idcircò deberet ſæpè in curſu Orationis nominare. Cicero iterat, aut Iudices, aut Quirites, aut Cæſarem, quandò ille erat præcipuus in cauſa, quam agebat, Iudex. Prætereà mali Oratores, ſi quid narrant, in ipſa narratione miſcênt apoſtrophas, diuertentes, & quidem diutius à ſuis Auditoribus. Qui ità ſe gerunt, *primò* oſtendunt ſe non loqui cum Auditoribus, quod maximum eſt erratum. *Secundò* efficiunt ne Auditor ſibi attendat. *Tertiò* eorum ſermo euadit abſtractus, & leuis, & in auras planè euaneſcit. Proinde iudicio eſt opus in vſu præclariſſimæ cæteroqui figuræ. Poetæ, præſertim in lyricis, & in ſyluis vtuntur apoſtrophe, etiam in principio poematum ſuorum: & benè; nam fingunt ſe oeſtro agitatos, & mente verſari cum illa re, ſiue perſona ad quam dirigunt apoſtrophem ſuam. Quod idem præſtant cum laude interdum Oratores, de quibuſdam argumentis verba facientes, quæ notiſſima ſunt Auditori. Vt, quando habetur Oratio funebris præſente cadauere: tunc benè inchoari poteſt per apoſtrophem ad ipſum cadauer. Pariter feria ſexta maioris hebdomadæ, qua die Chriſtianus Auditor nouit, verba eſſe facienda de Chriſti pœnis; in ipſo dicendi principio vtuntur Apoſtrophe, aut ad ipſum Chriſtum, aut ad Cœlum ex Solis ecclipſi tunc obtenebratum, quandò eius Creator occubuit. Hæc & ſimilia argumenta admittunt in Exordijs cum laude Apoſtrophem. Extrà aliquam huiuſmodi circumſtantiam Auditoribus notam, non video quàm benè, & quàm ad exemplar naturæ inchoetur Oratio per Apoſtrophem. Quis vbi ſe conferat ad aliquem cum illo verba facturus, non ſtatim illum alloquatur? Certè reputaretur ſtultus, ſi conuerteret ſermonem ad alium, cum eò venerit vbi eſt, quem deſtinauit alloqui. Hæc mihi viſa ſunt animaduertenda, ne ineptus fiat vſus Apoſtrophes.

XCIV.

XCIV.

Rarius at genus est illud, quo sæpè negamus
Dicere nos quicquam, quod non tamen vsque tacemus.
Nouimus vt quandò quæ non coniungere causæ
Possumus instanti, tamen & memorata parabunt
Inuidiam, aut laudes, & non aliena ferentur
Proposito nobis fini: tunc fingimus illa
Negligere, at manifesta tamen fecisse probamur.
Quidnam commemorem luxus? quid prandia? cœnas
Tanta voluptatum commenta? & munera tanta
Luxuriæ, quibus à puero corruptus agebas
Infamem vitam, quam moribus vsque malignis
Ad summam mortis tandem perduxeris horam?
Turpe tuum volumus fatum, Martine, tacere,
Vt nimio oppressum vino meritoria vidit
Quod sanus conuiua bibis Caupona iacentem;
Scilicet hic hominis fuerat, sanctique, pijque
Exitus, vt Superas ascenderet ebrius oras.
Occupat hæc verbum id, quod prætermittere fingit.
Quare & deductum sortitur ab Occupo nomen.

ADNOTATIO.

RAriorem vsum, ait Arias, esse huius figuræ; & iure: appareret enim facilè illam esse fictionem: & proindè Oratoris fidei derogaret. Propterea opus est summa dexteritate quoties illam vsurpamus. Cæterum puto monendum esse meum lectorem, vt sonoriores, patentioresque figuras in vna quapiam Oratione neque iteret, neque in longiùs trahat. Imitetur bonos Theanorum curatores, qui Scenas elegantissimas, & rariùs cæteris, & breuiùs Spectatori ostensas volunt, ne satientur.

XCV.

Sunt aliæ species variandis vocibus aptæ,
Quæ Veneres addunt sermonibus, & quibus ipsa
Amplior efficitur sententia, siue velis rem
Augeri, aut minui, seù pondera quæque parare,
Aut etiam extenuant rerum momenta seuera

Aut

Aut rursus leuiora parant augere loquendo.
Prima mihi occurrit multis circumdata verbis
Congeries, & se se poscit describier ante,
Cuius & officium fuerit quæ dicta fuerunt,
Protinus admotis altè producere verbis,
Quæ si non eadem tamen æquiualentia sunto.
Vt: Populi pacem tu euertere funditus audes?
Tuque hominum penitus pergis turbare quietem?
Tuque moues fluctus sæuos, turbamque procellis
Ebrius: heù, miseramque agitas, & perdere pergis?
Nec tamen assiduis verbis oneranda figura est,
Bis cumulata iuuat, nec ter repetita nocebit.
Luce nitens multa sequitur Descriptio, seque
Postulat in primis efferri, multa datura
Lumina dicendis rebus: nam nulla figura est
Vtilior veram naturam exponere rerum,
Actaque, & euentus propriasque ostendere partes;
Estque breuis, breuitate tamen, quæ commoda multa
Afferat, & dictis quæ pondera certa probandis
Non te religio, rerum sed cura nouarum
Compulit in populis tantos agitare tumultus
Exitium ò nostri, Martine, & dedecus æui.
Principibus cessisse sacris, seseque modestum
Præbere, atque alios eadem præcepta docere
Religio est: At non populi sibi quærere plausus,
Et rerum turbare modos, maioribus vllis
Non vllam præstare fidem, miscere prophanis
Sacra, nec omninò cognoscere fasque, nefasque:
Ambitionis erat modus hic, non Religionis.
Illa etiam non grata minus persæpè figura est,
Quæ parat antè oculos rem, quæ sit gesta referre,
Vt te audire neges, sed demonstrata videre;
Tantum habet ars vitæ & motus, vt pingere verbis
Vsque adeò valeat res omnes, atque docere,
Certiùs vt nullo possis spectare theatro.
Dumque agitur res ipsa quidem, si testis adesses
Certiùs, aut melius rem non didicisse valeres.
Hæc à nonnullis pars Demonstratio dicta est,
Vel quià rem visu spectandam subijcit: est qui
Indidit arte sua ex priscis Subiectio nomen.
Iam Tuba committit trepidas in prælia turmas,
Tela volant, ensesque feri stringuntur, & ingens

Fit

Fit clamor, triſtes iactant ad ſidera voces:
Pars cadit hic, alij ſuccedunt, perdidit ille
Crura, manuſque: alius pedibus protritus equorum
Corruit hic, animamque vomit cum ſanguine, & huius
Occupat haſta fugam, tenet & tellure refixam.
Vndique ſpirantum gemitus, animaſque trahentum
Auditur, feruent ſæuo loca ſingula Marte.

ADNOTATIO.

Circa Deſcriptiones, vellem admonitum Adoleſcentem, vt in illis fingendis memor eſſet, ſibi, aut factum, aut rem ità eſſe oculis phantaſiæ ſubijciendam, vt videri, non ſolum audiri putetur. In quo multi hac ætate decipiuntur; nam deſcriptiones onerant acuminibus, & cogitationibus, ſiue animaduerſionibus, ingenioſis quidem, ſed ad intellectum auditoris, non autem ad phantaſiam directis. Ex quo ſequitur, ne per vmbram quidem rem poſſe videri: nihil enim continent quod videri poſſit, ſed tantum quod intelligi, & quidem ab illis, qui ſint experrecta, & excitata mente. Vellem ſe conformarent exemplis magnorum virorum, Tullij, Virgilij, Liuij, Ouidij, & ſimilium. Eorum deſcriptiones conſtant adiunctis rem ità colorantibus, vt ſi pictor aliquis illa conſideraret, & ad ſuam telam pennicillo transferret, elegantiſſimam exhiberet imaginem: quod certè, neque eueniret, neque euenire poſſet, ſi adiuncta perpenderet, ſiue (vt melius dicam) cogitationes, quibus vtuntur mali deſcriptionis artifices. Quomodo enim referet in tabulam Apelles ipſe ſubtiliſſimam cogitationem, quam de aliqua re, aut facto aliquis expoſuit? Id quod dico, ponderanti, meridiana luce clarius apparebit, non poſſe deſcriptiones haberi, niſi ex circumſtantijs ſub ſenſus cadentibus.

XCVI.

Gratia nec minor eſt, cum quis concluſa latenti
Cortice verborum ſuperantia ſenſa relinquit,
Suſpicione mihi magè quàm ſermone probanda;
Significatur enim res verbis, non tamen omni
Exprimitur parte, & maior ſententia dicto eſt.
Emphaſis eſt Græcis, quæ & ſignificatio noſtris;
Fitque per ambiguum verbum quod vertis ad vſum

Ipse tuum: fitque excessu, & grauiora loquendo,
Vt leuiora probes etiam: fit sæpè sequela,
Et rationis ope ex dictis non dicta legentis.
Interdum sermo incœptus præciditur antè
Quàm res clarescat, sed non obscura relicta est,
Vsque adeò vt certum nequeas deprehendere sensum:
Quid tibi cum Dominis, tibi cum Martine Tyrannis?
Si tibi Religio est cordi, non illa fauore
Indiget humano: humanis non viribus illa
Nititur: è cœlo elapsa est, mortalia temnit:
Quis te Principibus sociauit, Iudicibusque?

ADNOTATIO.

SÆculo nostro frequentatur Emphasis, credo plus iusto, & cum detrimento Auditorum in Sacris Orationibus: & cum detrimento veritatis in factorum, apud Historicos, ennarratione. Inualuit enim amor concisorum, vt aiunt, & paucis multa non solum dicendi, sed etiam docendi, immò ostendendi animum suspiciosum, & per hoc ingenium acutum, quod penetret ad intima; prudens tamen, siue callidum, quod nolit deprehendi falsa dicere, aut scribere. Vno verbo amatur Tacitus, vir suspiciones ingerens de quocunque (penè dixi) bono viro. Ex quo capite comparauit sibi multos amatores; quasi verò res admirabilis sit suspicari mala quæque & pessima. Certè suspicio est iudicium valdè imperfectum, & ab homine morigerato non proferendum nisi cum limitatione, & in grauissimis negotijs, vt excitentur illi, quibus manifestatur suspicio ad indagandam veritatem; ex qua sequi posset aliquod graue incommodum. In Oratione autem populari frequentior Emphasis vsus reddit sermonem obscurum. Prætereà, dum Auditor detinetur in ponderandis dictis emphaticis distrahitur à reliquis Oratoris sententijs vtilioribus. Quod si Emphasis occupetur circa aliquod vitium, aut aliud, quod adscribi possit certæ cuipiam personæ, id vtique efficietur; adeòque mutuò se in concione respicient auditores, veluti innuentes inter se, dictum emphaticum Concionatoris ad hunc, vel illum referri hominem, illumque voluisse pungi: & post concionem illud idem repetitur. Quo fructu? Nullo: Nisi fructum appellaueris Oratorem sacrum haberi, aut mordacem, aut astutum, aut malignum. Verùm, etiam cum Emphases carent his improbitatibus, & bonæ sunt, nihilominus illas

opor-

oportet non esse nimis frequentes; immò oportet esse raras, alioqui erit obscura Oratio.

XCVII.

Fingimus interdum voces absentis amici,
Verbaque suscipimus necdum prolata, modosque
Illius, quem nos dicentem ad nostra citamus
Iura: eadem ratio est cum rebus fingere voces
Nitimur, aut formam quibus hæc natura negarit.
Hoc iuuat in primis, & multum conficit, arte
Si tamen, atque loco proprio, & ratione petatur;
Et fuit à nostris hæc Conformatio dicta.
Christus (Vt) in terris si nunc foret, vt fuit olim,
Tum cum Discipuli lino, ratibusque relictis
Non ad desidiam, nec ad otia fœda vocantem
Feruenti affectu Dominum, studioque sequuntur;
An Martine putas illis te agnosceret ille
Artibus audentem populos subuertere? Iam te
Deijceret, vacuamque fidem, & non sancta monentem
Ocia reijceret, Seruum mercedis iniquæ
Sæpè vocans porcum immundumque, canemque prophanum.
Nec tamen est absens Christus; auditur ab omni
Nunc populo, exagitans & te Martine, tuamque
Doctrinam infernis ductam de sedibus, inque
Infernas referens sedes mendacia fassos
Quosque tua, & Cœlo proclamat Christus ab alto,
Atque Euangelium verbi vox viua superni,
Æternumque pijs solamen, luminis alti
Lucida fax clamat, te te Martine furentem,
Et mihi inurentem infami mendacia lingua
Exagitent furiæ, nec nostri muneris vnquam,
Tuque, tuique feras ingentia præmia, qui me
Conspurcare mali commento audetis iniquo.

ADNOTATIO.

VAldè attentus debet esse sibimet Orator, quotiescunque inducit aut veras, aut fictas personas loquentes: curare enim debet, ne eorum Orationes discrepent à decoro, eæque sint, quæ putentur veræ. Peccare potest maximè cum elegantiores sunt eorum Orationes. In quo numquam tolerari

possunt sermones quidam quos nonnulli Oratores ex sacris ponunt in os Diuæ Mariæ Magdalenæ ad pedes Christi iacentis: qui *Primò* longissimi sunt: *Secundò* aut elegantiarum, aut (veriùs) ineptiarum plenissimi, quas si protulisset illa mulier Sanctissima, & suorum dolentissima errorum, deridenda fuisset. *Tertiò* alludentes, aut ad fabulas, aut ad historias, aut ad aliam eruditionem. Pariter puto cauendum esse ab Oratore, ne veras conciones, & absolutè prolatas, personarum præsertim viuentium inuehat in suam Orationem: sunt enim incredibiles. Ex doctrina Prosopopeiæ, Mortui excitantur à tumulis, parietes inducuntur loqui, & similes aliæ personæ; sed cum particula conditionata *Si*. Si Maiores nostri caput è sepulcris extollerent, & in hunc locum venirent, puto hæc ad nos esse dicturos (Si loqui possent parietes, opinor exclamarent, & dicerent) Etenim si Patria, quæ mihi carior ipsa vita esse debet tecum loqueretur ò Marce Tulli &c. Conciones sub hac conditione prolatæ sunt verosimiles (dummodò etiam verosimilibus impleantur sententijs) sine illa conditione nullam sibi comparant fidem; nisi tamquam historicas, & ab historia petitas, profitendoque inde petitas recitaret. Marcus Tullius inducit Milonem, sed qui præsens erat loquentem: verùm qua breuitate? Qua verosimilitudine? Quod dixi; cum nullo modo verosimiles sint nonnullæ Orationes, quæ sæpè in Panegiricis Sanctorum audiuntur, velut ab illis prolatæ. Historici habent conciones, & quidem alias directas, & alias indirectas. Censores illorum multa obijciunt directis, pauca indirectis. Quarè? Quià directæ vix sunt credibiles, indirectæ non item.

XCVIII.

Pingimus interdum faciem, verosque colores
Personæ, cuius conamur dicere causam,
Membraque formamus dictis, cum scilicet hac ex
Parte modum, ac voces, atque argumenta putamus
Addere materiæ nostræ: Nam sæpè videmus
Corporis ex specie mentem, facieque notamus,
Affectus, motusque animæ, quæ sæpiùs inde
Proditur, & certo indicio spectanda patescit:
Illaque ab Officijs Effictio dicta figura est.
Frons breuis, & lusca cernendo lumina, nares
Persimiles Satyris, rictus diductus, acutis

Dep-

Dentibus, atque color fuſcus, & totius vſque
Corporis & motus, ſpecies ac forma ferina
Quid niſi inhumanos potuit promittere mores?

ADNOTATIO.

NOn ſolum corporis effigies ab Oratore deſcribitur, ſed etiam animi mores pinguntur: quod præſtat Ethopæia in huiuſmodi moribus occupata. Maximum ornamentum Orationis, habentiſque etiam maximam vim ad argumentandum: & à Cicerone frequentatur.

XCIX.

Per certos nunc verba gradus ducuntur, habentque
Ponderis haud minimum, Ratio nam creſcit eundo,
Atque parat vires, additque affectibus artem.
Hinc nomen cœpit forma, atque Gradatio dicta eſt.
Quis modus eſt vitijs? Si quidquid criminis acres
Concipiunt animo iuuenes expromere tentant?
Atque exprompta patrare licet, quæcunque licebunt
Hæc poſſunt: nec quæ poſſunt feciſſe morantur,
Nec reprobant factum Patres, neque iura coercent.
Ordinis interdum Venus eſt, vt parte priore
Expoſita ad reliqua accedas quæcunque parabis
Dicere: tunc breuiter repetes quæ dixeris, & quæ
Sunt dicenda breui tentes proponere forma.
Hactenus audiſtis quali pietate caleret
In Patrem, ac fratres Iacobi filius: at nunc
Inſontem, ac puerum fuerit quæ iniuria fratrum,
Et ſcelus exponam, quod nulla Tragædia vincit.
Nec minor eſt vſus, cum quis producere verba
De re quacunque incipiens, cupit addere ad illam
Forte minus verbum, aut maius prò pondere cauſæ:
Tunc ſimulat ſe verba prius damnare relata,
Et propriora loqui poſſe; & ſe corrigit, addens
Particulam, quæ correctum dennunciet: inde hæc
Forma capit nomen Correctio: Dicere ſiquis
Sic velit: Egregium miſerunt Numina Regem
Nunc populis noſtris: Patriæ at dixiſſe Parentem
Sit melius: qui tam aſſiduus iam antè omnia curat
Rem populi, oblitus quæ ſunt ſua commoda cunque.

Nota nimis vulgo est alia, & protrita figura
(Nec dicenda mihi lex id nisi posceret artis)
Continuos sensus quæ sæpè intersecat, atque
Inserit vsque breuem sensum, quò cetera clara
Sint magis, ac sine quo tamen haud obscura fuissent.
Huic ego Romanum facio Interclusio nomen,
Nota magis Græco est, nam dicta Parenthesis illis.
Sæpè ego (nam memini puerum me audisse recentem
Esse ignem) in populis incendia magna timebam.
Atque vtinam tunc nascentes extinguere flammas
Qui potuit vellet (potuit quis?) tunc posuissent.
Hæc mala, iam pacem coleres pia turba quietam.

ADNOTATIO.

NOn est contemnenda Parenthesis : beneficio enim illius multa obiter dici possunt (& quidem vtilia) quæ fortasse sine parenthesi, vel nullo, vel violento modo dicerentur. Præsertim quià Parenthesis habet hoc proprij, vt benè pronnunciata, & mutata voce, aut renouet, aut sibi conciliet attentionem. Audiui quosdam Sacros Oratores per hanc figuram cientes in animis Auditorum non leuiter affectus.

C.

Contendit persæpe aliquis contraria iactans
Verba, nec exiguam Venerem solet illa figura
Addere dicendi, & vires protinus auget.
Sed tamen hanc partem multum Rationis egere
Dicimus, vtque illis formis vtare modestè,
In quibus ars nostra ostendit præconia laudis.
Hic etenim Stulti peccant, quæcunque figuræ
Partem aliquam Veneris didicere, & laudis habere
Obnixè, his solis incumbunt, ordine nullo
Inculcant, nec verba sciunt, nec tempora rerum
Eligere, hinc pariunt fastidia sæpè, odiumque.
Partibus his multum laudatis: nam videas tu
Oppositis qui semper amant contraria verbis
Congerere assiduis concursibus, atque parare
Prælia verborum, turbis ingentibus vsque
Extructas acies veluti committere bella
Rhetoricum sit opus solummodò, prætereà nil.

Quò magis ingenio tibi sunt, atque arte regenda
Hæc quæcunque vsu sunt inuidiosa frequenti,
Ne videare sequi vulgus, neu linquere causam.
Sic ergo Antithetis proprijs suadebimus vti,
Non vt in antithetis ratio sit tota loquendi:
Qui nocet, ò Patres, socius dicatur, an hostis?
Christicolamne voces hominem cuicunque supersunt
Diuitiæ, ast inopi saltem dare nolit amico,
Quo vitare famem possit, quo frigora pellat?
Is tibi Christicola est, non Mauro sæuior omni?
Hanc vocat Antitheton sibi Græcia tota figuram;
Nos etiam proprio dicemus nomine Pugnam.

ADNOTATIO.

Nihil verius, nihil vtilius poterat meo Lectori insinuari, quàm id quod commendauit superioribus versibus Arias. Quandò (vt suprà monui) figura aliqua eminet, illa rariùs est frequentanda, nam artem manifestat. Vbi verò contraposita, siue Antitheta occurrunt, tunc parciùs illis vtendum est. Peccatur in hoc à multis, qui captantes laudem ingenij, illaque (non multam laudem sanè merenti) contenti, toto conatu conquirunt antitheta: credo vt videantur mirabili quodam modo, & paradoxico loqui: mirabile enim est (ex sua natura) vti contrarijs ad aliud contrarium explicandum. Hi considerent quod à nostro auctore hìc traditur.

CI.

Grammaticis est illa etiam notissima forma,
Non spernenda tamen dicenti, munera cuius
Hæc fuerint: vt quæ numero proponere nullo
Vocum posse putet, satis ac sit nomine ab vno
Ostendi, tamen ambage, & molimine vocum
Efferat interdum causa ducente decora:
Nonnumquam vt variet ratio repetita loquendi,
Simplicis interdum defectu vocis ad artem
Appositæ, aut metri ratione, aut carminis vsu.
Sit tamen hæc virtus, vt quandò id cogat egestas
Dissimules, & spontè sua videare petisse.
Id fiet, si tam gratis ambagibus vti
Noueris, vt, simplex etiam si nomen haberes,

Esse magis credas gratum, atque optabile, quod tu
Pluribus ostendis verbis, spatioque moraris.
Vt Patris æterni pignus si dicere IESVM,
Aut vis hunc pura de Virgine promere natum,
Aut hominum Præceptorem, vitaque Magistrum:
Cuncta decent, & rem signant, animumque lacessunt.
Circuitus Patribus dicta est hæc forma Latinis.

ADNOTATIO.

PEriphrasis est figura notissima, & cuius bonus vsus parit multa commoda. Opus tamen habet iudicio. Nam sunt plures, qui veluti nauseent vocabula propria, Periphrasim, siue circuitum plus iusto frequentant. Incidunt autem hi in summam affectationem: fatigant Auditorem: longiorem reddunt Orationem, illamque ea gratia priuant, quæ resultat à vocabulis proprijs. Audiui Sciolum quemdam (sunt enim Scioli, qui malo vsu elegantiæ illam contaminant) qui damnabat Poetam pium, qui sanctissimum Iesu nomen suis versibus inserebat, illumque culpabat, quasi redderet humilem Iesu nomen stylum. Bone Deus! Si tam sublime nomen, quo audito curuant genu Angeli, homines, Dæmones, illi videbatur humile, ecquod erit sublime! Vtamur ergò sobriè periphrasi, neque simus ex illis, vt dicebat lepidè amicus meus, qui aut nolunt, aut nesciunt Panem appellare Panem, & Vinum Vinum, præsertim in Oratione soluta.

CII.

Iam multis ornata modis dicenda figura est,
Quæ se se expectandam demonstrat sæpiùs, ac non
Fastidita manet; faciem nam promit eandem
Ornatam vario comptu, vt tu cernere dicas
Nunc aliam, atque aliam, tantum scit fallere, & arte
Decipere incautos sensus, sed & addere vires
Illa solet rebus magnas, & lumina verbis.
Fit repetendo iterum, atque iterum quæ pulcra videntur,
Sic tamen vt repetas res ipsas, verba, modumque
Dicendo inuertas, fugiens fastidia cuncta.
Immutat numerum vocum, deducere docta
Rem verbis vnam multis, & cogere in arctum.
Nonnumquam adscitis alijs inuertere primas

Illa

Illa cupit voces; nonnumquam vocibus iisdem,
Ordine mutato, variat, sed & omnia vertit.
Nempè modos, ac verba simul permutat, & ipsum
Dicendi affectum, atque alio pronnunciat ore:
Vnde illi, quià tanta potest variare loquendo
Atque polire etiam, venit, estque Politio nomen.
Vt: Mihi nil potuit, te Gaspar, carius esse,
Non animo iucunda magis quaecunque voluptas
Esse meo potuit, quàm teque videre, frui te.
Nec mihi vita fuit potior, quàm dulcia tantae
Munera amicitiae, quam nos, non diuitis Indi,
Delitijs, non Imperio praeponimus vlli.

ADNOTATIO.

POlitio, siue Expolitio est vna ex figuris maximè Oratorijs, & aptissimis ad eloquentiam. Ornat, copiosam reddit, variamque Orationem: recreat Auditorem, patiturque illum tantisper requiescere à labore attentionis sine vllo detrimento causae. Commendari debet Magistris, vt in illa diligenter exerceant adolescentes.

CIII.

Vtilis ad vitam superest Sententia laude
Nominis ipsa sui multum celebrata, potensque
Non solum audiri, sed & alta mente reponi
Vtilitate sua pretium promittere honestum
Et dare non fallax, ac plurima commoda multis.
Illa breui vocum numero, praeceptaque vitae
Optima demonstrat, momentaque maxima rerum,
Atque decus grauitatis habet cum pondere vocum;
Vt: Nihil in vita pulcrum, si non sit honestum:
Innocuus quisquis fuerit, fortissimus idem est.
Nil timet in vita quicunque timere Deum scit.
Illa locis impressa suis, multumque decoris,
Et fidei multum, dicendo, & ponderis addit.

ADNOTATIO.

VErissima sunt quae docet Arias. Veruntamen est cauendum ne nimis frequentetur: alioqui impediretur cursus Ora-

Orationis : incideretur in obscuritatem : & plus attentionis ab auditore suo (qui popularis est) exigeret Orator , quàm possit ille præstare. Hoc quæso memoriæ insculpat qui dicit ad populum: Nolit ab illo exactissimam attentionem, quæ est suprà suum captum. In quo peccatur à multis, qui sic dicunt ad popularem coronam, sicuti dicerent in Academia acerrimis ingenijs constante. Meminerit Orator sacer, Auditores conuenire in suum Forum, propè meridiem : defatigatos à negotijs, quibus vacauerunt: & fatigandos à proxima inedia somni conciliatrice. Meminerit à se dici, quæ diù meditatus est, ab Auditore excipi cursim : & ab Auditore carente ingenio quanto abundat qui dicit. Propterea, quæ dementia esset dicentis, si expectaret se audiendum, sicuti audiretur apud Sapientissimos ? Qui pronnunciat Sententias , siue Gnomas , pronnunciat dicta breuissima, & petentia multam meditationem. Quomodò poterit Auditor plura ex illis sua mente concoquere ? Quomodò poterit attendere Orationi toti deductæ per subtilissimum subtilissimæ item Raciocinationis filum; ad leges Dialecticorum omninò elaboratæ ? Neque satisfacies dicendo, rem, de qua agitur petere ità tractari : Respondetur enim, aliam omninò viam peti ab eadem re tractata apud populum, aliam apud doctos. Certè si Tullium consideraueris, apparebit perfectissimus dialecticus, sed suam Dialecticam reddit facillimam captu. Quod vellem benè perciperet, qui specie recti decipitur. Non negamus opus esse dialectica Oratori Sacro : negamus illi esse vsurpandam , quæ nimio subtilior cum sit (etiam ornamentis Rhetorum vestita) excedit capacitatem popularem.

C I V.

Vltima dicenda est nobis, sed magna figura,
Quæ struit, atque parat toti fulcimina causæ,
Et neruos, venasque omnes sermonis habendi
Roborat, atque Oratorem confidere cogit,
Audacesque animos addit, vt vincere tandem
Conetur; firmusque velit persistere cœptis.
Huius erit ratio, & virtus, vt rebus in illis,
Quas tibi præcipuè dicendo prosore credas
Sæpiùs insistas, repetasque, & corpore toto
Sermonis vires hinc cunctis partibus addas;
Vt pars nulla tibi toto in sermone vacare

Viribus his possit, neruis, & sanguine, per qua
Vita subest, pariterque tuæ fiducia causæ.
Sæpiùs hoc repetas, volumus; multumque moreris,
Vnde tuis speras fore maxima commoda rebus;
Inde habet hoc nomen Ratio, quià semper in illis
Fit mora præcipuè rebus, quæ maxima nobis
Fulcimensa parant Com-dicta-moratio quondam est.

ADNOTATIO.

Agitur hic de figura, cuius nomen est Commoratio, quæ habere locum certum non potest, sed spargitur in toto Orationis corpore, prò iudicio Oratoris. Eius munus est ibi insistere, vbi plus vtilitatis sibi promittit, & plus damni timet Aduersarius. Ex quo occurres quibusdam Anticiceronianis carpentibus illum Oratorem, quia, rem semel dictam iterum dicit. Hoc non est vitium, sed virtus: repeteret millies, si repetitio faueret suæ causæ, prò qua vincenda laborat à primo Exordij verbo, vsque ad extremum Orationis. Vitium sanè est Oratorum Sacrorum, qui timentes notam affictam Ciceroni, nihil commoratur in illo, quod esset validissimum, argumento. Vitium etiam est res tantum innuere (ità vt vix audiatur earum nomen) & progredi. Vitium est in laudationibus Sanctorum tanta tenuitate eorum facta attingere, vt videantur ex scripti Indices, qui solent apponi à scriptoribus eorum vitarum in fine. Si commoratione vterentur, Auditor Domum ferret memor illa, quæ per hanc figuram reliquisset eorum mentibus impressa.

C V.

Exemplum si fortè petas breuitate ferendum
Haud facile, & promptum est ostendere: nam modò cunctis
Partibus infundi hanc formam sermonis habendi
Dum tibi describo memini dixisse: nec vnum
Occupat illa locum, nec sede moratur in vna.
Sed tamen in sacris dabimus pulcherrima libris
Exempla, & manifesta quidem, repetitaque sæpe.
Nec minus in causis ciuilibus, omnia passim
Sunt huius generis confecta exempla. Patronos
Quoslibet antiquos si consulis, vt Ciceronem,
Sæpiùs audieris, dum pellere crimina tentat,

Protegere & causam curat Milonis amici,
Sæpiùs id repetit, Vim vi propellere ius est.
Et sacra Iessiadæ si voluas carmina vatis
Inuenies, dum sæpè Deum, supplexque precatur,
Auxiliumque petit, veniam vè, & Numina placat,
Sæpiùs vna illi totis clementia libris,
Et miserata malis nostris mitissima Patris
Viscera sæpè illi hæc pleno versantur in ore.

ADNOTATIO.

Clarissima sunt quæ de Commoratione dicta modò sunt à nostro Auctore. Vtilitatem illius ostendit, quandò vel prò nobis, vel prò alio oramus; hoc est alicui patrocinamur. Quæ subijciuntur, spectant etiam ad offendendos Aduersarios; immò eorum ictus repellendos.

CVI.

Nec verò satis est propriam defendere causam,
Argumentorum & tibicine sustentare,
Et struere id quod quæris opus, partesque tueri
Sæpè tuas, si non hostis quæcunque pararet
Arma cauere queas, clypeoque retundere forti,
Atque retorquere interdum, iaculataque contrà
Irrita fecisse: hæc artis pars maxima, paucis
Concessa est: nam qui accusant vel crimina, multos
Inuenias, vel qui laudent quæque optima vulgo
Sæpè Oratores videas; non indiga tantis
Viribus ingenij est pars hæc; fluit obice nullo
Ipsa sibi, cursuque suo prolabitur, atque
Nititur in vero: ratio hæc capit inde, modumque
Contenta, & numerare gradus, speciesque malorum,
Siue boni partes; multum fiducia præstat
Dicenti, & persæpè solet clamore ciere
Numina, Iudicium, testes, & tempora, mores,
Ordine neglecto, atque arte, & tamen vsque perorat.
At Patronus erit multis instructior armis,
Artibus atque alijs, varius quarum indiget vsus:
Nec satis est proprijs rationibus omnia posse
Confirmare, sed aduersis obsistere telis
Est opus, & propulsare, & molimina cuncta

Va-

Vertere quæcunque illa paret producere contrà
Accusator, vt & proprias defendere partes
Possit, & egregij laudem perferre Patroni.
Prisca tulit raros ætas defendere doctos;
Nam facile & pronum est, & res, & crimina verbis
Exagitare malis: ducit natura loquentem,
Ipsaque in humani facti indignatio clamat.

ADNOTATIO.

EXcurrit in ostendendo quàm sit difficile inuenire bonum Defensorem: statuitque facilius esse Accusatorem reperire. Præsertim quia Defensori soluenda sunt, quæ ab Aduersario obijciuntur: adeòque iam non agit cum populo artem dicendi nesciente, sed cum alio Oratore, cui non est res facilis imponere, & artem occultare.

CVII.

Mille modos, formasque mouet, variasque figuras
Defensor, cum sæpe neget, minuatue probata
Crimina: sæpè etiam culpam traducat in hostem,
Molliat interdum, nonnunquam rideat altè,
Ridiculumque docere paret quodcunque probarit
Accusator, & infestet persæpiùs ipsum,
Multaque despiciat dictis, quæ magna fuisse
Dixerit alter, & inuertat quæcunque nocere
Crediderit, doctus non cedere viribus vllis.

ADNOTATIO.

VErsibus paulò ante allatis totus est Arias in ostendendo quid faciat bonus Orator, quandò suscipit aliquem in suam clientelam, illumque defendit. Mille enim se mutat in formas, vt aduersariorum arma (argumenta nimirum) infirmet; hoc est, ostendat Auditoribus nihil probare contrà suum clientem.

CVIII.

Hæc varijs dictata olim pars vocibus, vt quæ
Confutet, crimen pellat, contrariaque arma

Infir-

Infirmet, sic ducta tenet sua nomina verbis.
Non alios tractare locos, aliudue mouere
Argumentorum pondus, dum diruit, atque
Infirmat, solet Orator, sed fontibus iisdem
Confirmat proprias causas, hostique repugnat,
Vnde nouam præceptorum non poscimus artem.
Sed tamen, & finem triplicem proponere sueuit
Rhetor, vt aduersæ deuitet vulnera plagæ;
Aut etenim penitus frangit iaculata negando,
Aut leuiora facit verbis, aut mollia reddit.
Protinus obiectum crimen reprehendere tentat;
Sin minus id possit, mendosè colligis, inquit;
Et tibi concedam partes fortasse priores
Posteriora sequi ex istis tamen abnuo; vel si
Id sequitur, tamen ostendam, leuiusque, minusque
Esse quod intendis, quàm tu fortasse putaris.
Teque adeò Tragico affectu, cumuloque loquendi
Obruere adstantes aures, non vincere causa.
Eripuit sic sæpè reos ingentibus vsque
Criminibus, gladiisque exemit, colla catenis,
Compedibusque grauem dissoluit, libera misit
Crura manusque necem metuentis, & vltima fata,
Vel leuiora dedit pœnarum pondera dictis,
Mitius exilium, facile, & reuocabile suasit.

ADNOTATIO.

MVlta breuiter collegit Auctor noster, quæ facit Orator, cum aliquem defendit contrà aduersarium. Quæ vt redigantur ad illam Orationis partem, quam tradunt Rhetores in Scholis, vsurpat nomen ab illis vsurpatum, videlicet Confutationis (quæ est pars annexa Confirmationis) infirmationis, depulsionisque criminis. Quæ vocabula idem significant. Cæterum quæ minutim ostendit fieri ab Oratore dum confutat aduersarium, clarè apparebunt legenti Orationes Ciceronis: immò Conciones, quæ sunt apud historicos: quin etiam multas epistolas; & multas elegias; & Orationes quæ habentur apud Epicos. Docet deinde eosdem esse locos confutandi, qui fuerunt confirmandi.

C I X.

Pondera, dicendique modos perstrinximus omnes,
Quæ loca tentari deceat, quibus vtier ausis,
Et quibus expediat quæcunque effingere formis
Argumenta, quibus propriam fulcire paretur,
Aut contrà aduersas penitus prosternere causam.
Principijs quibus vtendum, quæ exordia quoque
Iudicio ponenda, satis iam diximus antè.
Nunc opus ingenio, doctam nunc quærimus artem,
Quæ totum demonstrat opus sub fine decenti
Claudere: pondus enim multum, momentaque magna
Finibus orandi concessa: & sæpè videmus,
Qui totum turbauit opus disiectaque toto
Corpore dicendi lacerauit membra, sub ipsum
Correctus finem placuisse, & cuncta tulisse
Præmia conceptæ causæ; rursumque notaui
Quàm multos, quibus orando sua præmia iam iam
Cessura, & merito melioris debita causæ
Eripit artis egens ingratus & exitus. Ergò
Non satis orasse ex arte est, nisi & arte perores;
Finis enim, & quæ sunt cura concepta recenti
Promptiùs inuadunt, mentique tenaciùs hærent,
Dum non plura putant sibi iam spectanda, nec vsque
Distrabictur longis Auditor cursibus, ac iam
Sentit adesse modum, cupit & meditanda referre,
Et referenda alijs causæ momenta referre.
Summa perorandi ratio, spesque vltima (quæ non
Tollat, & incerti euentus discrimina tollat)
Constiterit duplici cura: namque Altera pars est
Ennumerare gradus causæ, & fortissima quæque
Argumenta breui motu pertingere: non quod
Sermonem repetisse pares, atque integra rursus
Verba, modosque omnes dicendo voluere, sed quod
Quidquid habet vel momenti, vel ponderis ipsa
Causa, vel ingenio quidquid coniungere causæ
Contingit, reparare iterum, facilique figura
Perpendenda iterum artifici proponere summa:
Vt, quæ ostensa prius varijs sunt partibus, atque
Fortassis leuiora alijs sunt singula visa,
Nunc vires cumulata suas sibi mutua iungat

Offi-

Officia, & turba vincant, & cedere cogant.
Altera cura animos magnis affectibus vsque
Perturbare, nec in solis rationibus omnis
Vincendi vis semper inest: nam libera mentis
Portio, quæ imperium nostri solet illa tenere,
Concipit interdum, ratione negante, figuras
Quas amat, atque vltrò sequitur, seque afficit illis:
Vsque adeò vt multum assiduo defessa labore
Dum meliora docet ratio incassum se intelligat vsque
Sudasse, atque gemens cedat, penitusque trahatur:
Tantum habet arbitrij, tantum imperijque voluntas.
Humana; vt postquam rerum conceperit altos
Affectus, ratione vlla, neque viribus vllis
Succumbat: non si sæui tormenta Tyranni
Intentent, mortemque trucem per vulnera: non si
Dedecus; externis tandem non viribus illa
Eruitur; nisi paulatim quos induit, ardens
Exuat affectus, aliamque effingere formam
Incipiat.

ADNOTATIO.

Necessitatem benè perorandi ostendit, in qua parte Orationis eminuisse Marcum Tullium, omnes consentiunt. Ætate autem nostra eminet in suis, quas dixit ad Populum sacris Concionibus, Pater Paulus Segnerus Societatis Iesu, & Concionator Sacro Apostolicoque Palatio datus à Sanctissimo Domino Innocentio Duodecimo.

CX.

—— Sed qua possit molirier arte
Hoc opus, inque tuas partes perducere mentem
Alterius, discenda breui præcepta docebo.
Principio quæcunque tibi tractanda paratur
Causa hominum, vel causa Deum quæcunque mouenda
Suscipitur, cupiam tantum tibi tradere curæ,
Vt proprium penitus credas, vt nil alienæ
Partis habere putes, tua sit, tua tota, nec vllum
Participem facias tecum: siue vtile quid sit
Ordiri quodcunque paras, vel inutile quidquid,
Quidquid erit tandem, quemcunque & cedat in vsum

Fin-

Finge tuum penitus, nec quidquam cura tepescat
Vlla tibi, quamuis fuerit, qui vel sua, vel se
Tradit agenda ferox inimicus, durus, & asper,
Vel Scytha, vel Turca immanis, vel barbarus hostis,
Sit quicunque, vel inuisus, patriæque, tibique.
Suscipienda tibi vel non est causa patrono,
Vel semel vt suscepta, animo tractanda fideli.
Non frustrà propriam causam tibi credidit is, qui
Committit tibi se totum, auxiliumque, fidemque
Implorare tuam voluit: tu concipe talem,
Talem animum, qualis deceat, sanctumque, bonumque,
Veracemque virum: fortunam protinus omnem,
Et miseros casus, & mentem antè omnia totam
Alterius vestire tibi, tua ducito cuncta
Commoda, Damna, malum, iacturam, spemque, metumque,
Et quodcunque potest animo superesse clientis,
Hoc Patronus habe: nostram vel protinus artem
Mitte, nec è nostris quisquam te dixerit esse
Discipulis, Oratorem qui antè omnia iustum
Optamus, fortemque animo, semperque fidelem.
Iamque adeò si sancta tibi suscepta Dei sit
Religio, & diuina paras euoluere scripta,
Atque fidem populos, præceptaque Sancta docere,
Offensumque Patrem vitijs, & iusta minantem
Supplicia, aut blandis ad maxima dona vocantem
Vocibus, & miseros homines meliora monere
Ipse velis, maiora tuis hæc credito rebus.
Nec tanti vel vita tibi, vel munera vitæ
Omnia, vel patriæ charæ, vel sancta Parentum
Sit pietas, quanti fuerit sanctissima Diuum
Religio, & curanda tibi maiore labore, &
Viribus humanos nimium superantibus ausus.
Maxima præcipimus, fateor, maioraque nostro
Conatu, speranda tamen; nam sæpiùs illa
Vidimus in terris fieri, si sacra reuoluas
Carmina; si historias, si cuncta exempla priorum,
Inuenies miranda tibi spectacula rerum.
Spiritus vt quondam Cœlo delapsus ab alto
Pectora diuino afflatu penetrata virorum
Iusserit humanis incognita viribus vsque
Tentare, & tentata etiam peruincere, quæ nunc,
Et Reges, populique omnes, rerumque periti

Mirati, victasque manus, animosque dedere.
Qualia non nostris etiam sperare negatum
Temporibus, modò mens adsit pia, mensque timore
Plena Sacro; quam non rerum vesana cupido,
Vel misera ambitio, luxus, fastusque superbi,
Nullaue terrenæ vitæ vnquam commoda tentent,
Sed moueat virtus, moueat reuerentia diuum,
Veraque totius, perfectaque commoda gentis.
Quisquis & hanc mentem affectu, studioque pararit
Accipiet maiora animo iam munera ab alto
Æthere, quæ humanis iubeant tentare periclis
Maiora, & tentata modis peruincere magnis.
Siue ergò Diuina paras exponere dictis,
Concipe maiores humanis spemque, animumque,
Atque minora puta Cœli quæcunque sub axe,
Vt cura, studioque pio, sanctoque labore
Religionis agas causam, recteque perores:
Siue agites hominum suscepta negotia quæque,
Nulla minora tuis, vel non aliena putaris;
Tunc Natura tibi affectus, animique parabit
Irritamenta, & flammas quibus ipse mouere,
Et turbare queas, mentemque impellere magno
Impete Iudicibus, turbæque, omnique coronæ,
Et trahere inuitos etiam, potiusque sequentes.
Ipse tibi propriam cum tu rem feceris, & cum
Affectus prius ipse tibi conceperis altos,
Vt doleas verè, & verè indignatus, vt omni
Lætitia in rebus lætis correptus aperta
Pectora demonstres dictis, animique furores
(Cum iusta ratione tamen) viuasque querelas
Natura monstrante vias, expone, modosque
Fingere quos nequeat, nequeatque ars vlla docere.
Nulla igitur præcepta dabo, quibus ipse mouere
Alterius mentem valeas; sed protinus vno
Omnia concludam: PROPRIAM bonus indue mentem,
Qualem optas alijs: tua tunc fortuna, tuusque
Continget reliquos animus; communia coget
Esse tibi, atque illis cuncta infortunia casus,
Cæteraque humanam penitus variantia vitam.
Cogit enim natura homines communibus vsque
Motibus impelli, seù gaudia, siue dolores
Vita ferat, causas & cuncta pericula iungit.

Et facilè alterius damnum, tristesque ruinæ
Peruadunt sensus nostros, & mutua tentant
Pectora. Concessum sed si non cuncta leuare,
At sentire tamen vlli credam esse negatum;
Ostendunt lacrymæ, & risus, quæque omnibus insunt
Argumenta pari affectu, similique labore
Exerceri animos hominum, multumque moueri.
Ergò cura duplex fuerit, studiumque, laborque,
Dum finem fecisse paras sermonis habendi,
Ennumerare modos causæ, & momenta referre,
Atque animos mollire hominum, compellereque altis
Motibus, inque tuæ affectus effingere mentis.
Hæc mihi peruincet demum, hæc Oratio palmam
Eripiet, quæ clausa graui fine, atque decenti est.

ADNOTATIO.

QVæ faciunt ad benè perorandum aperuit Arias tam clarè, vt nulla opus sit declaratione. Vrget id quod est vrgendum vnicuique Oratori, vt quod suscipit agendum, suscipiat tamquam suum; numquam autem tamquam alienum. Deinde se effundit, & diffundit ad illos, qui Verbum Diuinum, pietatem, religionem, mores Christiano homine dignos populum docent. Vtinam hæc scripta à Viro numeris omnibus absolutissimo legantur! Spero valdè illi profutura, ne terat tempus, & laborem; & vento pascat Auditores suos, cum cibo cęlesti, viresque daturo, vt in Cœlum post mortem migrent, & sint pascendi, & ipsi sic pasci exoptent.

RHETORICORVM
LIBER QVARTVS.

I.

Quæ causæ, quibus eruere argumenta, locisue,
Qua serie inuentis uti, quæ verba petisse
Conueniat, quibus exornentur & omnia formis
Diximus, & quales fines quæque omnia poscant;
Nunc Oratorem qualem, quantumque Patronum
Optemus facile expediam tibi carmine tantum.
Tuque adeò quem nostra colit, celebratque Camœna
Adsis præclarum cui dat Sapientia nomen,
Hesperiæ decus eximium doctissime Iani,
Quem pietas, quem sancta Deum reuerentia magnum
Efficiunt, quem rara facit doctrina colendum,
Qui cunctos virtute trahis, sermone diserto
Perducis, magnoque tibi coniungis amore.
Te spectata diù probitas, & cognita multo
Tempore, & assiduo exemplo Sapientia diua
Sublimem excelsis, Iani, posuere cathedris,
Et formanda tuo exemplo, monitisque dedere
Pectora, mentem, animumque excelsi Principis, in quem
Incumbet moderanda olim pars maxima mundi,
Namque, vbi dispositis per regia gesta Philippus
Decedet carus terris, & sidera tandem
Pondere lassatus rerum, melioraque regna
Atque decus Cœli meritum, æternasque coronas
Sponte petit lætus, vita satiatus, & annis;
Carolus Imperij moles, & pondera regni
Suscipiet, referetque & Auum, referetque Parentem,
Hesperiæ desiderium, nomen quoque duplex.
O tibi quæ doctum tentabunt gaudia pectus,
Cum celso vectum curru grandæuus alumnum
Cum videas mixtum solio, cum sceptra tenentem,
Tunc, quæ iam magni, duce te, moderamina Regni
Iustitiam, atque fidem didicit, Diuumque timorem
Exercere paret, præceptaque sancta referre,
Pectore quæ tenero nunc Iani, sculpis, & altè
Insinuas, Regemque paras formare futurum.

Da facilem mihi te, Vatique ignosce volenti
Artibus ex multis, quibus es tu maximus, vnam
Dicere, & ingenuos animos, mentesque docere;
Et patere, hic Oratorem dum pingere conor,
Te mihi præsentem fieri, exemplarque colendum
Dede tuum; nam si vultus, verosque colores
Expressisse tuos nobis iam fortè negatum
Ingenij culpa, exiguæ & virtutibus artis,
Si tamen & primas vmbras, ductusque mouemus
Inuariata tuo figentes lumina vultu,
Hoc sat erit, non vt Ianij componere laudes,
Et faciem pinxisse ferar, sed vt optima dicar
Ipse Oratoris posuisse exempla diserti.
Iamque alij Vates, quibus & Natura benigno
Carmina concessit fluxu, tua facta canendo,
Effigiesque tui veras miranda parabunt
Edere, longinquis etiam spectacula Regnis,
Æternasque tuo capiti peperisse coronas
Certabunt: tua facta omnes, laudesque canentes
Diuite materia inuenta, cunctisque parato
Munere, & ad facilem palmam, laurosque vocante.
Nec minor hæc sit cura mihi, si carmina Musæ
Vberiora dabunt, & tantis commoda votis.

ADNOTATIO.

Ponit exordium, & propositionem huius quarti libri, qui erit de ipso Oratore. Deinde excurrit in laudes amici sui, cui commissa fuerat cura educandi Caroli filij à Philippo Secundo Hispaniarum Rege; sed infelici euentu, vt ex historijs patet, narrantibus à genitore ipso morte Carolum fuisse damnatum. Reliqua non egent expositione.

II.

In primis quicunque voles Orator haberi,
Mentem, animumque tuum magnis virtutibus omni
Ornabis studio: tibi sit sanctissima semper
Iustitia, humanosque simul, quæ temperat actus
Atque modum statuit Virtus, quæque omnia perferk
Fortunæ tormenta, manens immobilis, atque
Erecta ceruice omnes contemnere casus

Sueuit, & immotis oculis prospectat Olympum.
Nam, cui causa hominum cedat, cui causa Dei sit
Suscipienda, bonumque paret suadere, malumque
Dissuadere petat, cui fas, cui iura parentur,
Cui fuerit commissa olim sanctissima legum
Maiestas, cui Templa Dei, cui publica cuncta,
Qui scelus inuisum accuset, qui sæua nocentum
Pectora conturbet dictis, quem vita reorum,
Fortunæque omnes tangant, sesque tuenda
Commendent lacrymis multis, & supplice voto,
O quantum decet esse virum, iustumque, piumque!
Non illum sæui in primis tormenta Tyranni
Terruerint, non ambitio, neque inania vulgi
Murmura, falsus honor, vanæ & præconia laudis
Tentabunt: procul omnis amor, odium procul omne,
Spesque, metusque, atque omnis opum vesana cupido.
Qui simul vt suscepta bona molimina causæ
Arripuitque, humerisque suis conamine multo
Imposuit, fulcire parans, sanctèque tueri,
Irruet opposito ventorum maxima flatu
Tempestas, feriant immensi sidera fluctus,
Terga premant hostes, clamor, strepitusque, fragorque
Terreat incerto sonitu, iamque ingemat axis
Orbis, & ipsa Poli moles disiecta ruinam
Os teneat: iamque astra cadant, iam sidera lucem
Cuncta negent, obscura oculos nox occupet omnes;
Impauidus tamen obsistet, susceptaque nunquam
Pondera deponet, sonitum, vanosque fragores
Contemnet, nec terga dabit, nec flectere recto
Tramite cogetur, nec respectare, nec vsquam
Vel vultus variare suos, vel lumina tandem
Mouisse: erecto procedet vertice, & vsque
Integer optatum persistet quærere finem.

ADNOTATIO.

Bonum Oratorem vult Arias esse virum bonum, & virtute præditum, remotumque à cupiditatibus, à vitijs, cæterisque animi pestibus. Vt propterea, neque spe, neque timore arietari possit, cogique vt à fide declinet clientibus data: neque aliquod turpe protegendum suscipiat; bonum autem susceptum non derelinquat. Huius desiderij sui multas rationes affert, quæ non egent illustrari: satis est, si legantur.

III.

III.

Prima igitur sit cura tibi, Diuumque timorem
Imbibere, atque altè pietatem condere in imis
Visceribus: metus ille sacer, sanctosque, bonosque
Efficit, atque homines nullos, nec Tartara saeua
Is metuit, cui sancta calent, diuoque timore
Pectora tentantur: firmo tutissima vallo
Corda parat, viresque, inuictaque robora mentis.
Tum studium formare animum virtutibus illis,
Quae iustum, sanctùmque virum, cunctisque probandum
Omnibus ostendant: nam quamquam ex Rhetoris arte
Virtutis praecepta dare, atque ostendere non sit;
Attamen & sanctos mores, & pectora pura
Vindicat ipse sibi Rhetor, qui quaerit honestum
Discipulum, patriaeque bonum, populisque suis, &
Religionis onus, dignumque, aptumque subire.
E superis delapsa olim Suadela feroces
Composuit gentes, populosque ad iura vocauit,
Atque hominum genus in propriam properare ruinam
Auertit: vetuit caedes, & robora duri
Pectoris auertit, cantu lenita coegit
Cedere, & ad placidae traduxit munera vitae.
Tantum adeò potuit placido sermone mouere.
Diuinas artes tandem, diuinaque cedens
Munera, virtuti diuae seruanda reliquit.
Inque hominum vitam, & mortales tradidit vsus,
Et voluit sua sacra illis tractanda negari,
Quos non agnoscat, proprios nec dicat alumnos
Virtus, magna Deum proles, atque vnica vitae
Compositura decus nostrae, & quae commoda cuncta
Afferat, atque hominum generi caelestia praestet
Munera, conciliet pariterque, Deosque, hominesque.

ADNOTATIO.

DEi timorem, & amorem Religionis inculcat Oratori futuro Montanus: adeò vt eius Verba non modò sint praeceptiua, sed veriùs hortatoria. Ostendit enim quantae debeat esse curae Oratorem lacte pietatis imbuere, vt sic imbutus fiat sanctus vir, amansque recti, & honesti, & odio habens quidquid aduersatur virtuti, & Sanctis moribus. Omnia patent.

IV.

Este igitur procul à nobis, quos inclita virtus
Dedignata suis longè à penetralibus arcet:
Sacrilegas prohibete manus, scelerisque nefandi,
Iniustique doli linguas, fraudisque ministras:
Nostraque vos puro tantum præcepta tenete
Pectore, queis simplex cordi est, queis sola placere
Sola potest probitas; queis mens cœlestia tantum
Dona cupit, magnoque parat quæsisse labore,
Huic liceat penitus nostra hæc contingere sacra.

ADNOTATIO.

ADmissis hominibus virtutem amantibus ad artem benè dicendi, excludit ab eadem alios, qui sunt dediti vitijs. Lector ne mirere tantam probitatis commendationem in futuro Oratore, tantamque ab illo vitij remotionem. Innititur huic cardini publica fides eorum, qui Oratori sua concredunt. Eidem innititur bonum, aut malum totius Reipublicæ. Cum enim ars Oratoria sit efficacissima ad persuadendum; bonum si benè, malum si malè vsurpetur: Malè porrò vsurparetur ab homine vitioso.

V.

Cui studium est, cui cura genus mortale iuuare,
Sponteque prò patria procumbere, ponere magnis
Prò pietate animam rebus, grauibusque periclis,
Hic mihi dicendo Orator suadebit, & omni
In causa eripiet palmam: cui pectus honesto
Incaluit, sociatque simul virtutibus altum
Eloquium, felix & munere præstat vtroque,
Et morum grauitate premit, dulcedine linguæ
Detrahit, inuitos cogit, vel spontè sequentes
Ire viam suadet, qualem sermone diserto
Instruit ipse, ducemque parat se, primus in illam
Incumbens, pariterque mouet, vocemque, pedemque.

ADNOTATIO.

BReuiter attingit efficaciam, quam ad persuadendum (hoc est ad obtinendum quod vult Orator) habet vita bona. Vt

sic

sic intelligat Orator causam suam à se agi, si virtutibus tum sit, tum appareat instructus. Quod verissimum esse quotidiano comprobatur experimento, in Oratoribus non modò sacris, verùm etiam ciuilibus: quibus certè Clientes committunt negotia, & causas, si boni, rectique fuerint; omninò putantes, fidelissimè acturum de illis virum bonum, non autem malum.

VI.

Hunc etiam multis ornet Sapientia Diua
Artibus, atque omni doctrinæ munere quisquis
Orator cupit & fieri, & præclarus haberi.
Hunc Heliconiades certent componere Diuæ,
Quæque suum finxisse paret, proprioque coronet
Munere: perdoceat Pallasque, & doctus Apollo
Instruat hunc multis, quas nouerit artibus. Ergo
Vnus erit, qui sacra Dei mysteria priscis
Scripta voluminibus norit, qui carmina vatum,
Et responsa aditis cognoscat reddita sacris:
Expediat, non ignoret ciuilia iura,
Pontificum leges sacras, diuinaque Patrum
Consilia, & quæcunque genus mortale iuuare,
Et fœdus seruare hominum, sanctumque tueri
Consilium vitæ, & socialia vincula possunt.
Sæpè illi, vel coniugium, thalamique iugales
Propositi, dicentur enim, vel iura, fidesque
Exercet quæcunque auidus mercator, & illi
Sæpiùs heredes, & testamenta dabuntur,
Vel iustè repetenda olim, vel lege tuenda.
Plurimus in vitijs sermo, in virtutibus illi
Plurimus, vt scelus exagitet, defendat honestum.
Tractandum fas, atque nefas tractandaque Diuum
Iuraque, consilium, & quidquid sanctissima suadet
Religio, Christusque iubet: sæpè ille mouebit
Iratos animos, & mitia corda reponet,
Dissidiumque inter fratres, & iurgia sæua
Componet, dictisque dolentia corda fouebit.
Hic, quoties belli cupidos, & sæua minantes
Prælia suadebit populos! rursusque feroci
Compellet stimulo, viresque, animosque parabit,
Vt, ponantque metus, atque horrida bella capessant!
Non rarò dicenda illi, terræque, marisque

Offi-

Officia, & quid pastor agat, quid curuus arator:
Nauita quid præstet, quid possint astra morari
Promissum Officium: quantum quoque turbidus Auster
Impediat facilem cursum: Natura quid illis
Auferat; an proprias merces is debeat alto
Demisisse mari, atque vndas placare tumentes?
An casus quæcunque ferat magis obuia possit,
Dum trepidat metuens, sine crimine tradere ponto?
Non illi medicina vacat quicunque loquendo
Artificem se se præstat: nam corpora primum
Rettulerit nouisse hominum: quid perferat ipsa
Membrorum natura, labor quis commodus illis;
Quæ regio noceat, quæ sint auræque salubres,
Quæ loca conueniat iam culta relinquere, rursus
Quæ sedes habitanda magis: Cœlique, Solique
Quæ ratio: quantum possit medicina iuuare,
Quid se posse neget. Sæpe hinc miracula Christo
Admiranda magis demonstret, multaque vitæ
Commoda constituet, multa hinc exempla parabit.
Non modicum nouisse etiam conduxerit artem
Ædificatricem, qua tantum Græcia quondam
Floruit, & nostris qua gloria magna latinis
Accessit: dulcis nimium, neque inutilis vlla
Parte labor, quæque ingenium, mentemque docendo
Illustretque, acuatque nimis, quæque Vrbibus, atque
Principibus magnum decus addat, & vndique magna
Commoda, quæ tutos reddit sub mœnibus altis,
Securosque parit somnos, quamtumlibet hostis
Vicinum statuat vallumque, animisque
Solicitet turbare, tamen præcinctaque muris
Oppida, & excelsis templis, & turribus, ipsa
Mole minas discant hostis contemnere sæui.
Multaque prætereà sunt artis commoda, vel tu
Templa locanda pares, Circos, Fora publica, Portus
Persuadere: nihil facies nisi protinus artem
Noueris, & quanta humanæ vel commoda vitæ
Continet, atque decus: Tu qua ratione, minora
Maius opus, faciantque magis, dispendia, pulcrum.
Illam etiam tibi præcipiam cognoscere partem
Artis, & ingenij, cui quondam Græcia multum,
Romaque detulerat laudis, Musisque putauit
Esse parem, quæ Naturæ speciesque, modosque

Æmu-

Æmula depingit, mortales fallere sensus
Ausa quidem, quæ pulcra oculis spectacula promit,
Quæ Syluas pingit, tacito quæ flumina cursu,
Quæque irritantes sitientia pectora fontes
Effingitque, hominum atque Deum pulcherrima quæque
Corpora solerti studio, dulcique labore.
Multa tibi exempla hinc, multa ornamenta parabis
Dicendi: Non vlla magis celebrata disertis
Ars fuit, vtiliorue magis, magis omnibus vnquam
Solicitata modis, vt possis credere doctos
Huic simul, & parti intentos, Musisque vacasse,
Tantum operæ, & Veneris tantum superesse putandum est.
Vtque vrbes, vt templa Deum, fora, famaque semper
Ornauit, proprijsque dedit fore pulcra theatra
Muneribus; sic dicendis concedere rebus
Magna potest ars hæc quondam ornamenta parare.
Sæpè equidem (fateor) dum dicere pulcra frequenter
Curarem, cupidusque diù meditata profari
Rerum exempla auidus peterem, sed plurima passim
Obuia damnarem, memini petijsse disertum
Villegam, pulcrè cui pingere Numina docta
Concessere manu, & magnis virtutibus altum
Ornari ingenium voluere, & dulcia cuncta
Munera cum suaui vultus grauitate dedere:
O quanta inde tuli semper, quàm multaque vitæ
Exempla, atque operum formas, rerumque colores,
Dum sequor intendens arti, mentemque, animumque
Dumque ipsum intueor multa, & præclara loquentem.

ADNOTATIO.

ENnumeratæ sunt variæ facultates, & artes, quarum cognitio sæpè est necessaria, & semper est vtilis Oratori. Cum enim illius proprium sit posse de re quacunque, copiosè, & sapienter ad captum popularem dicere, vtique aliquandò necessaria illi fuerit earum cognitio. Immò si fortasse illa careat, deberet illam sibi comparare, saltem quantum oportet, tum ne peccet, cum de illa erit loquendum, tum ne suam (cum dedecore) prodat inscitiam. Quod monitum non solum dirigendum est ad Oratores ciuiles, verùm etiam ad sacros. Hos præsertim oporteret esse benè gnaros rerum Theologicarum, vt securiùs de illis loquantur, & ex illis argumen-

ta

ta petant tum nobilissima, tum valdè profutura Christianis Auditoribus.

VII.

Tandem nulla tibi ratio non cognita rerum,
Nulla tuam mentem Ars fugiat, quæcunque iuuare
Officio solet, aut rursus neglecta nocere,
Illustratque homines, aut vitæ commoda præstat;
Sæpè tibi occurrent dicendæ, sæpè probandæ:
Sæpè dabunt exempla tuis, & lumina verbis,
Nec studium præstasse illis, operamque pigebit.
Nil adeò exiguum est, nihil aspernabile, quod non
Sit didicisse magis pulcrum, potiusque beatum,
Quàm falli, cum fortè petet tibi Quæstio tales
Res agere, aut vsus, seù tentans omnia casus.

ADNOTATIO.

OStendit vtilitatem, quam parit Oratori omnium artium cognitio. Præsertim ostendit prodesse ipsis verbis, quæ illuminare potest ab ijs, quas dicebam, artibus, à quibus peti potest (si nihil aliud) aliqua metaphora, aliqua allegoria. Prodest prætereà hæc artium cognitio, quià prudenter, sobrièque vsurpata recreat Auditorem, illumque docet aliquid quod nesciebat: dumque doctrinam alicuius artis memoriæ imprimit, illud etiam imprimit, cuius causa Orator voluit doctrinam artis producere. Valet etiam ad similitudines formandas, quæ vix dici potest quantam vtilitatem probationibus afferant, & quantam iucunditatem Auditoribus. Immò non rarò est vnum ex illis ornamentis, quæ sententias reddunt splendidiores. Vellem tamen hanc artium cognitionem adhiberi, & prudenter, & sobriè. Prudenter, ne appareat nos affectatè illam producere, vt eruditiorem ostentemus. Sobriè, ne plurimum temporis illi impendentes, desit principali intento. In quo à multis certè erratur, qui obruunt argumentum eruditione, cum damno causæ, quam tractant. De Marco Tullio eruditissimo vtique viro, sed in suis Orationibus parcè illa vtente scripsit egregiè Pater Nicolaus Causinus, Tullium noluisse transferre in forum Bibliothecam Varronis.

VIII.

VIII.

Nec nos cuncta tibi hæc tamen addiſcenda monemus,
Aut manibus tractanda damus, ſed mente videnda,
Mente reponenda eſt ratio, ingenioque ſagaci
Noſſe decet quod quæque velit, faciatque, paretque ars,
Vtile quid vitæ efficiat, quæ commoda præſtet.
Nec labor hic nimium durus, quandò omnia ſe ſe
Munera coniungunt cognatis finibus, atque
Materia interdum communi, aut denique in ipſo
Officio ſocias formas, ſpeciesque ſequuntur.
Nam belli quicunque rudis, Martiſque cruenti
Non fuerit, turmas componere nouerit, atque
Iungere equos curru, ferrumque, & ſulphura tetra
Occuluiſſe cani ſciet in penetralibus æris,
Et iaculum torquere manu, celeremque ſagittam
Aptare, atque arcum diſtentis tendere neruis,
Multaque prætereà belli inſtrumenta mouere
Doctus erit: ſic ferri illi, ſic ſulphuris, atque
Neruorum natura patet, ſic vſque feroces
Nouit equos, curruſque leues, calamique volantis
Signa tenet; multas ſic denique concipit artes.
Omnia quæ ingenio inuenta, aut exercita quæ ſunt
Ingenio luſtrare datur, ſtudioque domare.
Has artes, atque hæc rerum documenta ſecutus
Orator, ſi noſtra ſimul præcepta tenebit,
Maxima præſtabit vitæ, & ſermonis habendi
Munera: magnus erit dicendo, magnus & vſu
Viuendi, populoſque ſibi, turbaſque virorum
Conciliare prius norit, mox reddere dictis,
Parenteſque ſibi, & trahet in ſua iura vocatos.

ADNOTATIO.

OStendit facilem eſſe vſum, & facilè parari poſſe cognitionem artium, quas antè commemorauerat; quatenus ſcilicet ad Oratorem ſpectat. Deinde oſtendit vtilitates, quæ profiſiſcuntur ab illis opportunè, & Oratoriè vſurpatis; Dixi opportunè, nam ſine opportunitate nihil prodeſt: Dixi Oratoriè, vt ſic admoneretur *primò* Lector meus, vt abſtineat à vocabulis artium, quandò ſunt purè ſcholaſtica: Ratio eſt,

quia

quià à populo non intelligerentur. *Secundò* vt vestiat ea, quæ ab artibus petierit ornamentis Rhetorum proprijs. Inter eos, qui benè hac ætate hæc vsurpauerunt, mihi summopere arrident Pater Paulus Segnerus in opere, præsertim, cui titulus Christianus in sua lege instructus, hetrusca lingua: & Pater Annibal Leonardellius, & Pater Danielus Bartolus, & Pater Ioannes Rhò è Societate Iesu.

I X.

Sed frustrà quis nostra velit præcepta subire,
Frustrà omnis labor, & studium profunditur omne,
Ni memori valeat mentis componere cuncta
Conceptu, & retinere simul res, verbaque cuncta.
Mirandas natura dedit, montique, animoque
Discendi vires, atque auctis addidit amplas
In spatijs penitus sedes, vt maxima rerum
Contineat simulacra animis, pluresque figuras,
Temporis antiqui historias, longasque dierum,
Annorumque trahat series, momenta sequatur,
Et loca cuncta suis spatijs præsentia semper
Contineat, fontesque, vrbesque, & flumina, portus,
Et quæcunque tenet, lato imperioque gubernat
Æquore Neptunus, scopulos, malè tuta carinis
Saxa simul, syrtes, quæcunque pericula tandem.
Iam verò tot signa poli, totque astra, tot ipso
Dispositas Cœlo formas, rerumque figuras
Tot numeros, viresque tenet, tot lumina, totque
Pondera, tot rerum species, tot concipit vsque
Res priscas, & quas paulò conspeximus antè,
Vt credas posuisse Deum, sedesque capaces,
Et loca, quæ mundi formasque, modosque tenerent
Finibus angustis nimium, nimis orbibus arctis.
Atque adeò hinc artes omnes, hinc commoda vitæ
Maxima nascuntur: rerum prudentia nobis
Ducitur hinc: quoniam frustrà labor omnis, & vsque
Discendi indefessa foret mortalibus ægris
Cura omnis, si non concessum munere Diuum
Mente, animoque agitata diù componere certis
Sedibus: inde adeò officio repetita fideli
Quærere, præsentesque olim depromere in vsus.

ADNOTATIO.

Docet opus esse Oratori memoria; vt, quæ à cognitione variarum artium didicerit, opportunè possit in vsum redigere. Laudat admirabilem vim nostræ memoriæ.

X.

Hoc tamen, atque alia id generis voluere labore
Numina constare assiduo; namque illa veterno
Pars animi capitur nostri magis omnibus vna;
Et torpet non culta diù, viresque remittit,
Angustatque locos, & sedes contrahit omnes.
Multa etiam patitur discrimina; sæpè senectus
Perturbat memorem sensum, positasque per annos
Effigies delet rerum, vel singula certo
Membra, mouetqu loco, & cæcis conuoluit aceruis.
Sæpè etiam aduenièns morbus vim mentibus illam
Abstulit humanis, & pigra obliuia rursus
Imposuit. Vidi qui nomina cara, suique
Sanguinis, atque sua obliti perdiscere, rursus
In teneri infantis morem coguntur ab ipsis
Principijs formas, & nomina quærere rerum.
Tantam animis molem, & tantam contagio labem
Corporis adiungit, terrenaque semina miscet.
Sed quamuis natura dabit felicia mentis
Principia, atque animum facilem, tamen vsque fidelem
Sæpè negat, memoremque diù contingere sensum.
Sunt etenim, quibus inuitis hærere recentes,
Et res, & voces soleant, & protinus edant
Quæcunque exiguo modo percæpere labore.
Hæc tamen & subitus motus mox mentibus ipsis
Deijcit, & facilis deturbat casus, vt olim,
Quæ molli signata luto traxere figuram
Continuò fugisse solent, residentque soluta.
Rursus & illa magis durant quæcunque notantur
In ceris, aut sunt cretæ commissa tenaci.
Sic tardæ interdum mentes, quas fingere cura est,
Et melius retinere solent, & reddere certum
Depositum, nomenque sibi fecisse fidele.
Siue ergo natura sequax, penitusque beatum

Ingenium tibi sit, Diuum ne spernito dona,
Sed gratus, iubeo, agnoscas, curaque frequenti
Munera commissa exerce, & meliora colendo
Effice: neù Cœlum infensum, neù sidera reddas
Ipse tibi, neù te dignum, cui plura negentur:
Siue parum felix campus, salebrosaque mentis
Contingat natura tibi, ne desere mæstus
Fortem animum, sed cura omni, assiduoque labore
Peruince, & steriles campos, fœcundaque cultu
Redde sola, atque tibi egregiam proponito laudem,
Teque para ad pulcram, assiduò certamine, palmam.
Ne ve minora tibi promittas, Numine dextro
Contingent sperata tibi, durumque laborem,
Et curam, atque animum fortem, spemque astra probabunt,
Et se victa tibi subdent, cedentque iubenti.

ADNOTATIO.

MVlta hic congesta sunt de memoria, tum felici, tum infelici, animaturque lector, vt exerceat infelicem memoriam; felicem autem nullo modo patiatur per incuriam perdi. Omnia sunt per se patentia.

XI.

Ergò animum peruince tuum, curamque frequentem
Admoueas exercendo, & peruiceris omnem
Duritiem, nomenque tibi per sæcula pulcrum
Compones, quodque inuideat, cui fortè benigna
Indulsit facile ingenium natura, animumque.
Multa igitur disce, atque animo concepta reuolue,
Atque agita; aut sacras leges, vatumque sacrorum
Responsa, & celebres hymnos, & carmina Regis
Iessiadæ, quibus ò quantum sapientia Diua
Indulsit! Quantasque & opes, quantasque parauit
Diuitias, quicunque sacris ditescere mentem
Carminibus, sacrisque paret se legibus altè
Imbuere, & quæcunque libris sententia sacris
Eruitur, mandetque animo, penitusque reponat.
Inde, etiam atque etiam repetat, quandoque canendo
Hæc referat, quandoque leuet fastidia vitæ,
Atque iter imminuat longum, durumque laborem.

Hæc memori voluens animo, dulcemque camœnam
Prouocet: aut si quæ peragenda negotia dentur
Hinc repetat similes species, & commoda rebus
Consilia, exemplumque graue, aut contraria gestis
Gesta trahat, quæ cuncta simul iam conferat, atque
Quid pulcrum, quid turpe putet dignoscere curet.
Sic agitata animo, & multum repetita parabunt
Æternas in mente domos, semperque manere
Gaudebunt, vbi tam grato se excepta probarint
Hospitio, inque omnem assensum se commoda semper
Præstabunt, referentque operis fructum, atque laborem.

ADNOTATIO.

HOrtatur Arias suum lectorem, vt exerceat memoriam; exercendo enim illam, aut seruatur, aut paratur. Hortatur (quod ego vellem) vt memoriæ committat sacros libros, prophetarum, & præcipuè Psalmos Dauidicos. Adde sacrosancta Iesu Christi Euangelia, & epistolas Pauli, aliorumque Apostolorum, & ipsa Apostolorum acta. Id si assumerent inculcandum iuuenibus, præsertim addictis Clero, tum sæculari, tum Regulari eorum Maiores, aut Præceptores, incredibile est quantum emolumenti caperent. Proinde, si in manus illorum hæc mea scripta, fortasse perueniant, oro, rogo, obtestorque ne consilium hoc velint contemnere.

XII.

Nec non multa tibi sunt ediscenda priorum
Dictata, atque animo penitus retinenda fideli
Quæcunque aut prodesse queant, possintque iuuare,
Et fructus retulisse operæ quondam atque laboris;
Siue illa incessu plano, gressuque soluto
Dicta suis grauiter fuerint auctoribus inde
Inde pete, & committe animo, quæ sæpè reposcas,
Seù numeris adscita magis, magis & pede certo
Procedant certis parentia legibus, atque
Musarum assuefacta modis, sonitusque secuta,
Quos Helicon, quos sacra audit Permessidos vnda.
Hæc melius sese insinuant, & mentibus hærent
Dulcisonis admissa modis, suauique lepore,
Et numeris sese facilè associantibus intrò

Labuntur, mox clausa animo, penitusque locata
Perdurant, ponuntque sibi gratissima semper
Confugia, & sedes iam cedere nescia, sed se
Conseruant iisdem numeris, atque ordine, queis se
Ingessere, nec hinc prorsus discedere possunt.
Nam si fortè aliquid cedat, missoque vagetur
Ordine, continuò in numerum reuocabile rursus
Cogitur, & socium, turba clamante, recurrit.

ADNOTATIO.

Commendat suis Lectoribus, vt alia discant, quæ vtilia sint, præsertim verò dicta Poetarum: hæc enim cum sint alligata metro facilius ediscuntur, & memoria conseruantur.

XIII.

Sed quoniam nil non mortales tentat egestas,
Quaque negat Natura homini, tamen improbus audet
Explorare labor, quædam concedere casus
Assolet, & veniens tardo experientia gressu,
Hinc vada tentare, & vetitos contendere in vsus
Mens hominum fuit ausa olim, ingeniumque negatum
Fingere, & inuitis componere protinus astris,
Et vitia assiduo tandem emendare labore.
Quandò igitur rara hæc memoris sunt munera mentis
Concessa, & locuples rerum thesaurus habetur,
Haud facilè inuiditque homini natura bonorum
Plurima, tentatum est animum molimine multo
Fulcire, atque opere admoto reparare cadentem.
Additus arte labor, lustrandoque omnia quosdam
Inuenere locos, vbi ponere nomina rerum,
Et rerum effigies possent, moxque inde petita
Ordine fingebant certo, certaque figura,
Sedibus inque suis ponebant singula cauti.
Vt, si virtutem vellent laudare, Deorum
Progeniem, quæ sola potest mortalibus ægris
Curas, & miseræ discrimina pellere vitæ,
Solaque post obitum facere, & seruare beatos,
Atque suos tandem in Cœlum, sedesque supernas
Tollat, & æternis iubeat discumbere mensis;
Primo ergò ipsa loco virtus efficta manebat

Inter Cœlicolas, collumque amplexa parentis
Illa Iouis, quamque ille volens, gratusque foueret.
Parte alia virtus miseris mortalibus adstat
Pocula proponens certa; & medicamina, cunctos
Queis animi curet morbos, curasque nocentes
Depellat, mox visa sacrum conscendere Olympum,
Ducere mortales secum, sacrisque locare
Sedibus, æternasque illis concedere mensas.
Hæc loca sunt libris olim celebrata priorum
Artifici deducta modo, serieque decenti
Disposita: hìc rerum series, & verba solebant
Ponere, & ad certos vsus repetisse parata.
Hinc aliquis multa exemplo sibi carmina multis
Audita à pueris retulit non fallere doctus.

ADNOTATIO.

Agit de memoria artificiali, quæ apud antiquos multo erat in vsu: proponitque modum illam sibi comparandi, exemplo ad id conformato.

XIV.

Est aliud genus, artificem quis ponere mentem
Quo possit, nec certa minus dat reddere fidum
Pignora depositum, nec nos mea cura fefellit.
Nam sæpè experti, officiumque, operamque fidelem
Vidimus; in numerum certum, quantumlibet vsque
Ingentem, charos opus est componere amicos,
Nomina grata mihi, & nunquam de pectore nobis
Elapsa, atque omni præsentia tempore nostris
Mentibus; hoc certo distinximus ordine quondam,
Et serie certa, atque notis, tum protinus illis
Quæcunque aut dicenda forent, animoue tenenda
Commisi, quibus & verbis, quoque ordine vellem
Dicere proposui tacitus, sic singula cuique,
Vt facerem mihi præsentem, iamque omnia coram
Differerem, vocesque omnes, & cætera fingens,
Atque illum præsentem animo, & mea cuncta vocantem
Fingebam; mox discedens seruanda reliqui
Cuncta illi in proprios vsus, aliumque petebam,
Moxque alium, atque alium socium quàm plurima vellem

Nomina, resque animo committere, cuncta parabam
Commisisse suo, disponéreque ordine caris
Aut socijs, aut cognatis; aut denique amicis.
Sic, vbi iam ratio exigeret, vel dicere causam
Religionis apud populum, vel Principis aures
Tentare, ac rerum molimina ponere certis.
Vocibus, aut magno in ludo certamina docta
Sustinuisse, diem nostrum præstare parati,
Nostraque differere, & multis rationibus vsque
Firmare, & contrà iaculata retundere tela,
Sensimus hanc artem certam, nec me illius vnquam
Pœnituit. Quare hoc iubeo, ne neglige, Gaspar.

ADNOTATIO.

Satis (puto) fuit legisse inuentum Montani, vt sibi memoriam localem formaret. Propterea nolo morari lectorem longiore prolata explicatione.

X V.

Quidam etiam meminisse docens, molitus & artem
Quæ mentem firmare queat, multumque fidelem
Reddere, præcepit: Si quis fortè puellam
Ardeat, hanc animo quoniam non deserit vnquam,
Huic rerum meliora bibens, huic optima scitu
Committenda paret prudens, & dulcia fingat
Colloquia, atque illi cuncta hæc seruanda relinquat.
Mox vbi, vel ratio, vel tempus postulet, illam
Mente adeat, positumque petat quæratque relictum.
Sed fuge præceptis, Gaspar, fallacibus vnquam
Parere, & monitis nostris accede rogatus.
Principio non vlla tuos percellere sensus
Pulcra puella queat, nec dulces pectore flammas
Concipias, namque ingentem tibi protinus ignem
Prædico: quæque exiguo scintilla calore
Prima tibi fuerat, iam magna incendia cordi
Iam dabit, ingentesque rogos, quosque ipso Typhœus
Aspiciens leuiora sibi tormenta parari
Gaudeat, atque suam sortem soletur. Amorem
Deuitet, quicunque cupit Sapientibus esse
Persimilis, quicunque sibi, reliquisque parabit

Prodesse, hanc fugiat pestem, sæuumque furorem,
Inuisumque Deum Musis: namque omnia sacra
Contemerat, dulcesque choros, cantusque prophanat.
Atque adeò quicunque semel fera vulnera sensit,
Quæque amor immisit, quæ fixit tela medullis,
Prima sui hunc rapiuntque, tenentque obliuia, nec se
Perditus agnoscit; patriam, carosque propinquos
Deserit, & rerum contemnere maxima gaudet.
Non honor hunc, non diuitiæ, non tangit honesti
Cura, decus proprium, simul optima negligit vsque
Officia, atque odit socium meliora monentem,
Atque infantiles lusus, curasque frequentat,
Et leuibus totus studijs incumbit, & omnes
Deridet quoscunque iuuat Sapientia, quosque
Et rerum decus exercet, quos diuaque virtus:
Tantum adeò refert curas: admittere edaces,
Atque sinu exiguos fouisse Cupidinis ignes.
Sed quænam poterit ratio, quæ forma iuuare;
Vt meminisse queat, rerumque, atque ordinis, atque
Verborum quemcunque sui non tangere cura
Vlla potest? animumque miser, mentemque perire
Non sensit, puero similis vilissima tractat?
Nonnè vides, quæ iam facies, quis vultus amantis,
Quis color, atque tremor sit toto in pectore, quandò
Mente colit charam (sua tristia fata) puellam?
I nunc, & sensus rerum, seriemque modosque
Verbaque dicendi, atque artem committe puellis,
Vt decus omne tibi pereat, plenoque theatro
Dedecus ipse tuum prodas, turpemque pudorem.

ADNOTATIO.

MEritò damnat Arias inuentum illius, qui ad fouendam rerum memoriam hortatur, vt puellæ illius sit memor Orator, quam deperit. O turpe, ò nefarium consilium! Vis me audire? Subroga Reginam Cœlorum, Deique Matrem intemeratam: Illique iunge prò multitudine rerum discendarum aliquam ex illis Virginibus, quæ lilium pudicitiæ rosis martyrij iunxerunt: Catharinam, Agnetem, Luciam, Apolloniam. Aut Angelo tutelari committe, quæ vis memoriæ figere: aut alicui ex tuis in Cœlo Patronis.

X V I.

Sed tamen ipse tibi possim præscribere certam
Discendi formam, & numquam fallentia mentem
Dogmata: namque omnes (fateor) tentauimus olim,
Expertique sumus, quas quisque ostenderat artes.
Cætera sed tandem damnauimus; hanc ego primus
Composui, hanc etiam numquam me sæpiùs vsum
Pœnituit, certam reperi, semperque fidelem.
Nec mihi præsentes hæc tantum contulit vsus,
Sed diuturna etiam promittit commoda, namque
Radices in mente locat, facilique labore,
Exiguo & cultu producit cuncta, iubetque
Perstare, æternumque facit dictata manere.
Principio, rerum quas dicere contigit, omnem
Naturam inspicias iubeo, & primordia prima,
Et quæ sint elementa prius dignoscere cura:
Mox etiam effectus rerum, fructusque repone,
Qui certi, quiuè incerti, qui scilicet omni
Tempore prouenіant; qui raró: hæc singula cautus
Perpende, & iam quas formas, quæque extera iungant
Ars socientque sibi. Postremò exquirito fines,
Atque euenta petas rerum, & proprio ordine cuncta
Discute: mox breuibus discussa exponito chartis,
Ordine quo primum deducta, ac nota fuere.
Ergò cuncta tibi semper disponere primis
Principijs, atque ad certum deducere finem
Præcipio, atque obiter quæ sunt cognata locare,
Quemque dedit rebus natura, hoc ordine numquam
Neglecto, certosque modos assuesce parare,
Atque viam certam, qua possis quærere quidquid,
Vel Ratio dederit, vel sors improuida forsan
Obtulerit subitò, atque oblata offerre iubebit.
Hæc vbi dispositis comprehenderis omnia formis,
Ordine quæque suo componens, verba parabis,
Dicendique modos, propriasque, aptasque figuras,
Queis ornes dicenda: tamen non longiùs illa
Deducas, non obscuris inuoluere pergas
Vocibus, & ducis nimium, sed commoda semper.
Quæsieris, & quæ cognata vocabula rebus,
Namque etiam seruant seriem, seseque vicissim

No-

Nomina contingunt, vt res, vt quæ ordine nobis
Res olim Natura dedit, sic ordine iussit
Componi voces ratio, totusque suas res
Consequitur dicendi ordo speciesque, genusque,
Vt rerum sic verborum, nec discrepat vllo
Limine ab indoctis Sapiens, nisi nouerit, & res
Ordine quæque suo prudens distinguere, & idem
Iungere, tum voces aptas componere rebus.
Hoc igitur sequere, & verbis vestire propinquis
Res omnes assuesce mihi, & tua doctus habebis
Munera, nec propria certus priuabere laude.
Sed si quandò alias voces transferre libebit,
Et proprijs te vti semper in tædia tentant,
Scilicet, & facies, concedo, sed omnia tandem
Sint fines habitura suos; formamque, modumque,
Et genus, & series etiam seruatur in ipsis
Translatis, & certa sequi se nomina iungunt,
Sæpè vocant ipsæ voces, gaudentque propinquis
Nexibus adstringi, atque solent disiuncta dolere,
Et mentem vexare etiam discentis, & ipso in
Tempore deficere, & cassum effecisse laborem.
Siue igitur proprijs verbis, seù dicere tentes
Translatis, numquam naturas desere rerum,
Atque pares rebus voces, & nomina prudens
Compene; hæc iubeo pulcherrima, & optima semper
Ornamenta tui fuerint sermonis habendi
Et quoniam totam exhibeo non inuidus artem,
Quam mihi donarunt Musæ, studiumque, laborque
Omnia tentanti, præcepta hæc vltima tradam.
Quidquid erit, quod tu certa ratione, modoque
Dispositum teneas, atque his, quas diximus ante
Artibus ornatum, hoc proprijs describere signis,
Atque characteres proprios depingere disce,
In primisque & scribendi non vltima cura
Sit tibi, pingendique notas, elementaque pulcra.
Gratia magna quidem pulcrè scribentibus vsque
Contingit, gaudent omnes, laudantque legendo
Scripta charactere eximio, quales meus olim
Pingebat Genitor, possent queis cedere prælis
Nobilibus quicunque libri excuduntur, & ipse
Hæc cari monumenta Patris, hæc pignora mecum
Conserue. Astrorum motus, Cœlique meatus

Scripserat ille mihi senior, pulcberrima nato
Dona, laborque ipsis quoque pulcrior astris,
De quibus ille mihi præcepta probanda reliquit.
Non bomini vox talis erat, non dulcior illi
Cantus; & ingenium nulli magè dotibus auctum
Crediderim, maior fuerat non gratia vultus,
Atque manus. Quidquid dixisse, egisse pararet
Cedebat facili ductu. Testis mihi certus
Temignus, Logio Hesperiæ, quo præside quondam
Gaudebat; namque ille mei monumenta parentis,
Et spectanda olim, & cunctis laudanda ferebat.
Illi bis duodena dabatur epistola nostro
A Genitore notis varijs depicta, nec vna
Alterius, præterquam, aut signa, aut nomina tantum
Auctorem testata suum sub fine, tenebat.
Atque adeò iam hæc barbaries quoque maxima nostris
Exulat Hesperijs, quæ quondam insederat altis
Nobilium (infœlix!) in mentibus, vsque laboris,
Et pulcri studij ignaris: nam turpe putabant
Ingenuo vel scire notas depingere pulcras.
Tantum adeò valuit mentes inuertere torpor.
Attamen (Hesperiæ melius lucentibus astris)
Nobilium iuuenum cessit iam hic mentibus error,
Inter & ingenuas artes numeratur & illa
Scribendi, pulcrasque notas dignasque Camœnas
Quales docta manus nouit depingere Petri
Veleij, quales noster Chirosius, at tu
Gaspar amicitiæ exemplar sanctæque, meumque
Et decus, & nostræ dulcissima pignora vitæ.
Ergò scribendi curam laudamus, & artem,
Et musis dignam sacris, diuæque ministram
Memnossinem: namque illa solet persæpe iuuare
Mentem hominis. Didici expertus, cum carmina, cumque
Ipse meis digitis descripsi multa soluto
Sermone ediscenda mihi, populumque docenda
Christicolum, pietatis opus, sanctumque timorem,
Spemque, fidemque, & multa adeò mysteria Christi.
Ipse meis posui digitis, certasque figuras
Expressi, longasque notas, facilesque legenti
Distinctasque locis certis: nam gratia magnis
Multa notis certè suberit, velut ipse notaui,
Vtilitas nulla exiguis, quas fallere certum est

Primum oculos, & mox mentem, fugiuntque videri,
Et breuitate latent nimia, mentique negantur.
Magna igitur pingam, quæcunque ediscere curem.
Hæc vbi disposui scriptis, digitisque, relegi
Hærent, & nostræ semper præsentia menti
Adsistunt, atque ipse liber mihi fingitur intus,
Et sese ostentat dicenti vsque ipsa legendo
Pagina versa mihi fuerit, sic vertere sese
Ipsa solet tacito in corde, ostenditque videndam.
Hæc ergò memorem mentem, certamque parabunt,
Naturæ constans ordo, vocumque figura
Apta ipsis rebus, propriamque hæc scripta per artem,
Quam poteris pulcris formis, & sæpè relecta.

ADNOTATIO.

EXtendit se Arias in docendis, quæ facere videntur ad memoriam artificialem. Accepta verò ex ijs, quæ docuit, occasione, diuertit ad laudes, tum sui Genitoris, tum amicorum. Cæterum quæ sunt præcepti ad pauca reducuntur, vt lectori patere potest, literæ eleganti charactere scriptæ prosunt, vtilesque sunt memoriæ; Immò, si quis sæpiùs sua scripta rescribat, experietur id conferre emendationi eorumdem scriptorum. Vix enim dici potest, quàm aliam suscipiant faciem ea quæ primò scripsimus, si deinde iterum, tertioque calamo rescribenda tradantur. Cogitatio intenditur, & censura acuitur. Quod si lentè rescribantur, & characteribus elegantibus, multò plus emolumenti referet emendatio. Hæc ego quoque obiter.

XVII.

Si tamen exoptas memoris miracula mentis,
Et cupias animo mortalem excedere sortem;
Par Superis meminisse velis; mea carmina numquam
Id tibi monstrabunt, nec enim diuina monemus,
Nec molimur opus nullis imitabile, quandò
Ingenio id fuerit nostro, nostrisque negatum
Viribus, & nulli contingere vidimus vmquam
Præter Honoratum doctum, cui Numina tantum
Concessere animi virtutem, ac tanta dedere
Munera, quanta olim tanti decuere Magistrum

Principis, & quæ etiam nullis cognouimus antè
Exemplis, & quæ nostri meminisse Nepotes
Non poterunt exempla suis sentire diebus.
O quoties Mecænatem hunc miratus ab ipso
Sidere, quo tellus pallentes discutit Vmbras,
Donec in occiduo demergitur æquore Phœbus,
Officio adstantem vidi, cum plurima turba
Hunc adit, atque Scholas certatim adcurrit ad eius,
Quique colunt Musas, queis nunc sacra carmina curæ,
Qui studium exercent linguæ, eloquiumque disertum,
Quique tuum Phœbe, inuentum medicina salubri
Detinet auxilio, quos publica iura, forumque
Exercet: iamque astrorum mundique periti,
Hic Orbem, hic maria, ac terras metantur, & altè
Tempora discutiunt motus quos sidera toto
Fixa Polo seruent; atque hic quem maxima rerum
Delectat Natura parens, causasque notare
Cogit, & in rebus elementa inquirere cunctis.
Hic quicunque modos vocum, qui carmina neruis
Arctat, & intonsi pertentat Apollinis artem,
Non pictor, non & sculptor, seù marmore, siuè
Ære Sacros ducat vultus, diuumque figuras,
Et veterum artificum certet superare labores,
Hic adstat, non ingenij quicunque probati
Laude aliqua nomen pulcrum, famamque tuetur,
Omnibus ille vacat gratus, cunctosque tuetur,
Officioque fouet docto, & certissima reddit
Responsa in quacunque illum quis consulit arte.
Iamque adeò quisquis diuina oracula sacris
Scripta voluminibus celebrat, legesque frequentat,
Et monitus Diuum, vatumque arcana piorum,
Huc conferre solent quidquid didicere legendo,
Hinc petere abstrusos sensus quicunque latere,
Et fugere humanam mentem, ingeniumque videntur.
Ipse ego sæpè Domum (fateor) miratus & altum
Ingenium, doctusque magis, meliorque redibam,
Vnde tibi tantum mentis doctissime Iani,
Vnde fluens indefesso tibi pectore torrens
Dicendi? Vnde & tot spatia, & tot tempora rebus
Discendis? Quandò, & Marti, bellisque vacabas?
Vnde recordandi vires, & cuncta locandi
Ordinibus proprijs, vt non confusa ferantur,

Vt prodas mox quæsitus, non omnia tantum
Momenta, & methodos omnes, quæque artibus insit
Materies, sed Scriptorum tibi pagina multa,
Auctoresque ipsi certo toti ore citentur?
Seù graio sermone petam, seù forte latino,
Seù Thusco, siue & Gallo? Nam plurima linguæ
Ore sonas facilis discrimina, quæ tibi magni
Inuideat Ponti Princeps, namque ille disertus
Bis duodena suis totidem distantia linguis
Iura dabat populis, quos sub ditione premebat.
Hoc ego temporibus modò non imitabile nostris,
Quod tibi felici donabant Numina sorte
Iani non vlli componam vocibus vnquam:
Hæc Superos poscenda puto, non arte petenda.

A D N O T A T I O.

VOluit Arias satisfacere animo suo grato, ergà virum egregium, quem laudat ab Encyclopedia, & quod præsertim volebat, à memoria, nullis industrijs comparanda: erat enim purum Naturæ, Deique munus rarissimum.

X V I I I.

Sed quid tam longam Gaspar contexímus artem
Tantaque Verborum, & rerum præcepta mouemus;
Vt, quod Musa mihi Spacium præscripserit omne
Imprudens penè implerim, & loca parua supersint
In quibus ipsa suos viuens Prolatio motus
Explicet, & numeros, & partes explicet omnes?
Queis tantum valet, vt meritò sibi præmia palmæ
Sæpiùs eripiat, nulli concedat honorem
Parti alij, iubeatque omnes, & cedere cogat,
Se iactet, viresque suas, queis pectora cuncta
Impellat, fortisque trahat, multumque fatiget
Donec peruincat, cogatque facessere quidquid
Persuadere olim cuperet, votisque fruatur?
Quod si carminibus breuibus non passa doceri est
Dedignata locum angustum, tempusque, modumque,
Atque sibi damnet nimium arcta sedilia, rursus
Conueniat totam tibi quam præscripsimus artem
Diruere, inque breues constringere cuncta figuras

Dicta

Dicta prius quæcunque mihi, totumque parare
Huic operi, & spatium, & tempus, describere & artis
Hanc vnam potius partem, cui cætera cedunt.
Sed tamen interdum breuibus tentanda putamus
Munera, quasque sibi viuens Prolatio partes
Vindicat, atque opere in tanto dicentibus ipsa
Commodat, orandique omnes concedit in vsus.
Omne adeò quodcunque animos impellere tentat,
Atque intus penetrare parat, secretaque mentis
Afficere, internos primum pestringere sensus
Conuenient; namque hi primi, mentisque, animique
Custodes, primique Duces rem protinus omnem
Excipiunt venientem, ad primæ, & limina mentis
Admittunt, proprioque parant examine primum
Explorare, nec inuitis tu sensibus vnquam
Pestringes hominum mentes: ea munera prima.
Scilicet, isque labor primùm percellere sensus,
Multiplicesque animi portarum tangere postes,
Et petere hinc ad secretæ, penetralia mentis
Occultos, certosque aditus: & sæpiùs omne
Pondus, & in causis momenta tulisse videmus
Si quis permouit sensus, animique ministras
Protinus affecit vires, & cedere iussit.
Tantum operis, tantum imperij natura putatur
Permisisse ipsis tam primum sensibus, vt si
Impulsi externis fuerint, victique figuris
Alliciant penitus mentem, cursuque secundo
Deducant, aut expugnent, aut cedere cogant.

ADNOTATIO.

VTinam omnes, qui literas humaniores profitentur, huic, quam hic attulit Arias doctrinæ diligenter attenderent! Est illorum arti pernecessaria. Docent populum, eiusque mentem (quæ sola instruitur) instruunt: Sed is præstandum est arte populari. Hæc ars ad mentem pertingit medijs sensibus: proinde hos allicere debet literarum humaniorum studiosus. Si alia via procedat, maximoperè à suo fine aberrat: nunquam enim populus, cum vtilitate, & cum iucunditate, & cum facilitate docebitur, nisi quod est docendus, per sensus introducatur. Dixi alio loco plura ad id pertinentia, ad quæ Lectorem meum refero: ne recoquam eandem (vt aiunt) Cambrem.

XIX.

XIX.

Sed non tam rerum vires, & pondera poſſunt
Non tantum ipſa poteſt ſeries, non omnia tandem
Artis multiplicis molimina pellere duros
Et ſenſus placare omnes, non vincere tantum,
Quantum hæc vna poteſt dare iam Prolatio, quandò
Senſibus aptat ſe cunctis, conatur & omni
Parte reluctantes multa peruincere mole,
Et nil aggreditur vanum, nil tentat ineptum,
Omnia ſed certa, & numquam fallentia tangit:
Iamque igitur reliqua occultam pertingere mentem,
Seceſſuſque animi internos penetrare fatemur,
Atque agere interdum, ſed maxima, & optima tandem
Vendicat vna ſibi noſtra hæc Prolatio cauſis
In cunctis, atque vna ſolet peruincere, quod non
Vel potuit res ipſa olim, vel copia fandi.

ADNOTATIO.

IVre tribuuntur primæ partes ad expugnandum Auditorem popularem pronunciationi. Hæc enim afficit ſenſus, & phantaſiam: per quos, ratio peruentura ad mentem, tamquam per aquæ ductus, tranſire debet. Proinde huic vacare debet Orator; & qui à natura deſtituitur organis à pronunciatione requiſitis deſperet ſe libenter audiendum.

XX.

Primùm igitur vox ipſa tibi formanda paretur,
Quæ motus animæ internos, quæ verba referre
Sola poteſt: nec enim ſine voce hac dicere quicquam
Continget, velut illa animi meditata per auras,
Atque agilis penetrat ſpatijs diſtantibus aures.
Interpres Diuum, atque hominum ſacra munera Magni
Mercurij, apta hominum ſocias coniungere turbas.
Hanc igitur qualem dederit Natura videndum eſt,
Nam varijs olim formando finxerat ipſa
Nos omnes Natura ſonis, & diſpare cunctos
Gutture, diſparibuſque dedit ſonuiſſe figuris.
Hic graciore quidem ſonitu, aſt hic præſtat acuto,

Hic magis obſcuro, claro hic, at flectitur ille,
Et medias rumpit voces, & deficit: Aſt hic
Perpetuo ductu produxerit integra vocum
Munera: iam mollis vox quædam, fœmineumque
Perſonat, aut trepidans pueriles concitat ictus.
Sunt alia & vocum diſcrimina, ſiue canendo,
Seù ſermone velis ſonitus diſcernere cunctos.
Hæc quoniam variè affectis de partibus edit
Natura, atque omni non idem Spiritus ore
Ducitur inuarias deduxit ſæpè figuras.
Adde etiam quod ſæpè ſolet collapſa perire,
Aut mutata alias prorſus inducere formas:
Cumque graues veniunt morbi, cum membra vigorem,
Amittunt, variatque ætas, triſtiſque Senectus
Accedit, vitæ & ratio, & ſors ipſa colendi
Permutata trahit diuerſo pondere voces;
Cunctaque vertentes anni rupere ſonoros
Vocum aditus. Hæc cuncta tibi quæ dicta monemus
Contemplator, ages tecum, & curanda parabis,
Atque vſu reparanda ſuo, & quid quæque recuſet,
Et quid quæque ferat ratio cognoſcere tenta.

A D N O T A T I O.

Varia de varietate vocum protulit hic Arias, vt illis penitus ab Oratore cognitis, ſciat ſibi conſulere, & præparare ad pronunciationem artificiosè (hoc eſt ſapienter, non autem temerè) factam.

X X I.

Iam ſequere, & vires ipſas, quas ducere gaudet
Natura, & proprio numquam de limite vocem
Depellas: nec enim facilè in longinqua vagatur,
Aut aliena ſuis fert munera viribus, & ſi
Cogatur, perit infœlix diſcrimine in ipſo
Turpiter, & cedens furtum diſpergit agendi.
Quam verò Natura dedit, vel tempora vocem
Hanc ſequere, & prudens exerce: Plurima ab vſu
Vis etiam voci accedit, multumque iuuari
Aſſolet, euentumque poteſt aſſueſcere in omnem.
Multa tibi formanda quidem, & dicenda monemus,

Et tecum meditanda olim, repetendaque, donec
Prospicias propriæ quæ sint tibi munera vocis,
Vt lapsus vites cunctos, alienaque prudens
Abijcias, proprias vires, propriumque loquaris
Munus, & in rebus numquam fallentia vocis
Pondera, quæ certa penitus correxeris arte,
Vt facilè affectus omnes, meditataque mentis
Explicet, & flexus varios, sonitusque, modosque,
Atque tonos præstet, munus quoque compleat omne.
Vox aliena tibi non vnquam imitanda petatur,
Nam grauitas, & tota perit tibi gratia fandi,
Nec res vlla magis suspectam prodidit artem.

ADNOTATIO.

DVo hic prudenter monet Arias. Alterum, ne intendamus suprà vires, latusque nostrum, vocem in pronunciando; alioqui raucescemus, immò penitus vox peribit. Neque contrarium sibi quisquam sinat persuaderi ab Auditorio valdè frequenti, ad quod velit suam Orationem peruenire: Nam si vires non suppetunt, id neque tentandum, neque curandum est. Alioqui contendentes suprà id quod possumus, sequetur nos non audiendos, non modò ab omnibus Auditoribus, sed neque ab ijs qui cœteroqui nos audiuissent, si vocem suprà vires non intendissemus. Alterum, ne quempiam imitemur. Quod certè commendandum est, cum multi sint, qui in hoc peccent, velintque id quod in alijs placet suum facere: & tamen experientia docet huiusmodi imitatores, nec aliena sibi aptare, & propria amittere.

XXII.

Sed neque cura minor fuerit tibi cuncta referre
Verba, modosque omnes, & partes, integra prorsus
Omnia, nec cursu propero concisa, nec vsque
Affectata abitu moueant fastidia lento;
Sed deceant, mediumque modum, mediamque figuram
Contineant, & res ipsas, motusque sequantur,
Atque animi affectus, & cunctas prorsus in aures
Integra perueniant, neque quemquam munere fraudent.

ADNOTATIO.

ADmonemur claritatis, qua oportet præditam esse pronunciationem, vt ab omnibus percipiatur. Admonemur, ne sit velocior, neque tardior. Admonemur, vt eiusmodi sit, quæ promat res, quas in animo habemus, atque sicut habemus. Quarè crediderim, curam esse habendam Oratori in pronunciando similem illi, quam habet in scribendo Orationem. Certè scribens illam curas, vt singulæ voces, immò apices respondeant mentis cogitationibus, & animi affectibus. Idem conetur in sua pronunciatione. Pariter sicuti satagit, vt quæ chartæ committit interpunctione opportuna distinguantur, ità efficiat vt hæc interpunctio eluceat dum quæ scripsit voce pronunciat. Elucebit præsertim, si morulas inserat interpunctioni respondentes, varietque vocem. Vox enim semper eadem repugnat Naturæ, & Orationi, quam ad Auditores dirigit.

XXIII.

Iamque adeò, motusque animi, quosque induit intus
Mens habitus, atque affectus seruare memento,
Atque ministerio vocis, sonituque referre;
Siue iram, siue ostendas tua gaudia, seù tu
Fortè metus referas trepidos tristemque dolorem,
Spemque, minasque truces, aut flectere Iudicis iras,
Et lacrymas mouisse pares, miserataque tentes
Pectora, quaecunque aut mentes turbare quietas
Ipse velis, proprio sonitu, proprijsque moueto
Vocibus, atque suis qui seruant omnia formis.

ADNOTATIO.

SOlebam dicere Iuuenibus, quos erudiebam in arte Rhetorica, Tullianam Orationem, esse veluti egregium Drama omni varietate plenum, propter res diuersas, quas vir ille sapientissimus in illam ingerit. Talis apparebit consideranti, quanta vocis diuersitate sit opus, vt diuersas mentis sententias, diuersos animi affectus, diuersa voce Orator enunciet. Quàm libenter audiebatur Tullius! Id oriebatur ab hac varietate, semperque aptatæ rebus, pronunciationis. Modò etiam pronun-

nunciabat hilariter, modò mæstè: interdum timentis in modum, aliàs exultantis. Nunc iras promebat, paulò post lacrymas; minitabatur, consolabatur, insultabat, placabat &c. Vtinam hunc hominem vellent in causis melioris, & maioris infinities momenti imitari, qui à natura gratiam pronunciandi obtinuerunt sacri Oratores! Verùm in multis res ità habet. Vniformes sunt, & sine varietate affectuum, cum perditi sint in miseri ostentatione ingenij, cui soli fidunt, non autem cæteris ciuilis, multòque magis sacræ eloquentiæ validissimis ad persuadendum, & mouendum instrumentis.

XXIV.

Nam, qui perpetuo sonitu, similique legenti
In ludis puero, pronunciat omnia, numquam
Solicitum faciet quemquam, in sua votaque ducet.
Namque alius sonitus tristi est, aliusque dolenti;
Incensos animos ira, ferientia vocum
Fulmina, truxque decet properato Spiritus ore.
Non eademque rogans pronunciat, atque rogatus:
Non admiranti est eadem, ridentibus atque
Vox eadem: sua quemque decet, faciesque, modusque
Verborum, & vocis grauior, vel auctior, aut est
Flebilis, aut læta, aut mollis; sedata, furensque.
Ipsa dabit rerum ratio, causæque figura;
Quemque habitum Natura petat, circumspice prorsus,
Et similes vocum resonent, halitusque, tonique.
Atque adeò, vt breuibus possint hæc cuncta doceri,
Nosque artem penitus fugiamus prodere longam,
Hoc semel admoneo, præceptis maius, & arte;
Scilicet vt numquam dicendo fingere discas,
Nec referas aliena vnquam; tua sint tibi cuncta
Quidquid agis, vèl quam causam tibi quisque patrono
Credidit, hanc statuas propriam, tua commoda crede,
Vel tua damna: vel inuisum certamen honoris,
Vel capitis pellenda tui discrimina: quidquid
Suscipias Accusator, cupiasue tueri,
Concipe tu veras curas, verumque dolorem,
Spemque, metumque tuum facito, propriosque furores
Assume, aut miseros animosque, reique figuram
Indue, vt infensas deflectas Iudicis iras:
Præscribet Natura tibi variantia vocum

Munera, & ad cunctas dicendi commoda partes,
Cum tibi tu proprias disces præscribere causas,
Et veros edes gemitus, qui rumpere possent
Vel silicem, vel & indomitos flexisse Leones:
Et molles vocum sonitus; suauemque tenorem
Elicies, queis mollire, & peruincere dura
Pectora, & in proprium possis perducere votum.
Atque vtinam tales habitus, similemque figuram
Induerent, quicunque sacris per pulpita rebus
Incumbunt! Vtinam proprias fecisse liberet
Christe tuas causas, quodque illis creditur almæ
Religionis onus! Non tantum pectora vulgi,
Dura forent, non tam multis sermonibus (heù! tam)
Exiguus fieret fructus: feruentior esset
Mens hominum: pietas maior, maiorque teneret
Religio populos, & turba frequentior altum
Percoleret virtutis iter. Felicior iret
Vita hominum, neque tanta forent dispendia gentis,
Prò qua supplicium durum, mortemque cruentam
Nate Dei summi, & lignum crudele subisti.

ADNOTATIO.

QVi velit benè pronnunciare, quæ scripsit, & cum varietate vocis, monetur (quod alibi suprà) vt putet suam esse causam, quam agit. Quod si faciat, enim verò, Natura docente, egregius fiet, pronnunciabitque excellentiùs quàm doceri possit à quacunque arte: Deinde diuertit Arias, optatque Sacros Oratores esse, quales docet oportere illos esse, qui in ciuilibus negotijs verba faciunt.

XXV.

Sed (quod turpe foret priscis orantibus in re
Exigua) hoc isti affectant, seseque videri
Vel doctos cupiunt, nimiumque, artisque peritos,
Artis inertis, vt hanc damnet vel scurra, vel omnis
Histrio: nam tepidè dicunt quæcunque referre
Mentibus incensis deceat: iam rursus, & iras
In leuibus stimulant rebus, mentitaque produnt
Ora, manus, vocemque, alienaque mentibus esse
Dicere quæcunque incipiunt, studioque loquendi,

Non

Non tamen orandi ſtudio, rerumque teneri.
Vnde fides leuior verò, & reuerentia Diuum
Vſque minor ſequitur; ſemper decreſcit & ipſa
Religio, & virtus: rari in virtutis amorem
Incenſos animos referunt, odium quoque rari
In ſcelus, aut vitium, ſcelerataque crimina prorſus
Corripiunt; cunctique, velut ſi ad carmina tendant,
Et melicos audire modos, diuina frequentant
Templa: nec eſt aliud ſet...o redeuntibus illinc,
Quàm conferre modos dicendi, & verba, ſonumque
Dulciùs expreſſa, aut longè repetita loquenti.
Vtque alius, ſuperatque alium, meliuſque ſonando,
Et motu, & geſtu, & manibus pronunciet; vtque
Gratia rara, vel inuentis, vel vocibus, atque
Copia verborum quanta eſt, ſine pondere inanis.
Scilicet hæc ſecum populos iam diſcutit omnis,
Quæ curare ſuos, creditque, videtque Magiſtros,
Quæque videt ſtudio multo oſtentanda parari.
Namque & verborum artifices, fabroſque loquendi
Appellat chorus Orantum ſeſe ipſe viciſſim,
Dicere ſæpè ſolent ſeſe, gaudentque vocari.
Tantum ſimplicitas humanis cordibus olim
Exulat, atque animos pietas ſacrata reliquit.
Huic vos ergò malo, & damnis occurrite tantis
Paſtores ouium Sacri, quibus ipſe regendos
Commendat populos Paſtorum maximus ille
Nazarides, curamque gregis commiſit agendi.

ADNOTATIO.

VIdiſti Lector, quanta acrimonia inuehatur in illos, qui è ſacris pulpitis Dei, Religionis, animarumque negotia minori veritate tractant, quàm ſuas hiſtriones fabulas? Si aliquis eorum, ad quos pertinet ex officio de rebus diuinis verba facere hæc accipiat, quæſo attentè verſus tanti in arte benè dicendi Præceptoris, legat.

XXVI.

Martine, egregium noſtri decus Ordinis, & quem
Pontificem felix ſortita Segobia, tui iam
Inuidet ipſa prius felix Guadixa, doletque

Præceptore suo priuata, & Præsule tanto,
Præsule, cui ingenio nuper Mahamettus acuto
Cessit, & indoluit nullas erroris iniqui
Reliquias superesse animis, & gentibus illis,
Quas prius ipse suas habuit, quas Numine dulci
In nostrum pridem Christus reuocarat ouile;
Non benè dimissis tamen his erroribus, ipse
Conspicis, & primos queis sunt imbuta liquores
Pectoribus purgas teneris, sacrumque probatæ
Religionis opus, documentaque certa reponis.
Te quantum pietas, quantum Sapientia, quantum
Doctrina, atque vsus rerum, & prudentia Diua
Exornet, quantis cumulent tua pectora semper
Dotibus, & quantum exemplo, sermoneque possis
Publica res testatur enim, quàm multaque rerum
Euenta, atque viri innumeri, quibus ipse probari
Sæpè soles magnis celebratus laudibus vsque.
Te latiæ gentis pridem, te Gallica turba
Mirata est: te laudauit Germania, quandò
Concilio intereras Sacro, quod prisca Tridenti
Christicolum populo, rebusque petentibus ipsis,
Romano dictante etiam Pastore coegit.
Hic tua laudata est cunctis Sapientia, & altum
Consilium, & magna doctrinæ munera tanta,
Queis vix sufficerent multi, seù pondera rerum
Explicuisse pares, quibus hæc mysteria Diuum
Obseruata latent, Syria vel voce sonandum,
Hebræo aut sermone foret, superumque loquelis;
Attica seù quando petitur facundia, libros
Expositura nouos, leges, monumentaque Christi,
Vnus eras, cui cuncta simul præstare daretur.
Et tu, quem dignis gradibus prouexit ad ipsum
Pontificale decus virtus spectata per omne
Consilij exemplum, & rerum, ingeniumque disertum
Valtodane, meum à puero, & post fata parentis
Præsidium, doctisque viris laus magna, bonisque,
Quem nuper gaudens magno Pallantia plausu
Electum auspicijs faustis, & sorte beata
Audijt, accusatque moras, & tempora dicit
Longa nimis, quæ te absentem sua vota morari
Compellunt, optat, peploque, ostroque videre
Conspicuum, & sacra redimitum tempora Mitra

Dictantem leges iustas, diuinaque iura
Inter sacrificosque viros, turbamque peritam,
Qua non vlla vnquam Hesperijs est cognita terris
Docta magis, nulla ad sacras aut aptior aras;
Te comitem ferro armatum, gladijsque potentem
Iam spectare cupit multum Pernia fidelis.
Te duce iam nullos hostes, nec bella timere
Vlla potest, tantum hos ferro seruabis, & armis,
Quantum consilio, atque fide, officioque seueri
Iudicis, atque pij Patris seruare fidelem
Ipse soles populum Christi, quem vera perornat
Religio, quem tu turpi defendis ab hoste:
Qui pauidas hominum mentes, & pectora vulgi
Simplicia indoctis, dirisque erroribus vsque
Vulnerat, & Stygio gestit turbare veneno;
Vnde animos æterna subit mors, tristiaque Orci,
Nec repetenda vmquam tranantur flumina multis:
Iam patere exiguasque moras, & tempora cede
Longa tibi nimium docta ò Pallentia, donec
Consulat, & rebus magnis imponere finem,
Et populos sedare queat, tristesque procellas
Mentibus excutiat multis, iubeatque quieta
Viuere corda hominum, nullasque timentia fraudes,
Quas ferus in nostras adduxit Lutherus oras:
Lutherus immane ostentum, nostrique ruina
Temporis, Eumenidum soboles, & filius Orci.
Nec tu Cuesta minus nostris venerande Camœnis,
Quo Præceptore obscuros mihi voluere libros
Contigit, & Scoti densas penetrare tenebras,
Et dulces duro decerpere cortice fructus:
Tunc mea Complutum felix te Cuesta videbat;
Te nunc hispana hæc Legio, regna inclita quondam
Armorum studio, & multis celebrata trophæis
Te fruitur Rectore pio, te Præsule felix,
Religionis onus gratum, iuga dulcia Christi
Sustinet, atque tuis monitis sine pondere perfert.
Hoc ergò probibete omnes, occurrite damnis
Christicolum, populis & quæ bona semina vestris
Sparguntur, purgate (precor) multoque probate
Iudicio, ne quid pereat, pars nullaque Sancti
Vana cadat Verbi, & fructus disperdat amœnos,
Et sterili iactu vacuas ne compleat aures.

Hoc agite, & grauiter vestris edicite templis,
Si vos sancta tenet pietas, si commoda tangunt
Vlla hominum, si sancta mouet reuerentia veri,
Hoc mihi Præsul agat cunctus, Christique fidelis
Pastor, & in sacram quicunque edicere gentem
Iura solet, mores rigida & formare, grauique
Lege potest, atque ad normam reuocare probandam.

ADNOTATIO.

SVperioribus versibus duo præstitit Arias: laudauit tres viros insignes, & de se benemeritos, & amicos: Deinde his commendauit, vt puritatem Verbi Diuini disseminandi, populosque illo sincerè pascendi omni studio amarent.

XXVII.

Hoc doceat quicunque sacri mysteria Verbi
Explicat, instituitque alios, verbique Ministros
Præceptis format doctis, arcana librorum
Quæque voluminibus clauduntur condita priscis
Exponit, qui monstrat iter, fingitque futuros
Sacri Oratores Verbi, quo munere prisca
Andorise iactat sua pignora maxima Canum,
Canum dulce mihi nomen, Legionis amœnæ
Splendorem, magnumque decus: namque ille docendos
Suscepit Iuuenes sacros, turbamque piorum,
Quos olim sacra Templa habeant, quos cura tenebit
Religionis, & in populos sacra flumina multos
Effundent, quæ nunc animis, & pectore puro
Concipiunt, admirati quèm maxima linguæ
Gratia Canne tibi, seù græco, siue latino
Incipias sermone sacras exponere chartas;
Siue Abrahameo potius fuit ore sonandum:
Nam nihil ignoras, nec te fugit vlle loquendi
Regula, quæ officio possit conferre fideli.
Quid referam rerum quanta experientia, quanta
Copia doctrinæ variæ? Quàm multa Sorores,
Castalidumque chorus dederint tibi dona benignis
Haustibus, & puro recreent de flumine doctum
Pectus, & admittant quæcunque ad sacra clientem?
Annè alius, cum virtutem laudare parauit

Assi-

Affectu maiore calet? cum crimina saeua
Improbat, annè alius crimen vehementiùs odit?
An prò diuinis rebus certare paratus
Quis magis esse queat, vitamque impendere vero?
Quippe tuam causam credis, tua commoda Cane
Quas res cunque paras verbis tractare disertis,
Inde ardes vero affectu, verisque loquendo
Vocibus, incendisque animos, meritumque reportas
Ingenuique viri nomen, iustique, bonique,
Quo te omnis Chorus appellat, qui Templa frequentat
Pulcra ista, & tecum sacras operatur ad aras.

ADNOTATIO.

VOluit Arias laudare viros praeclaros in arte dicendi ad populum, eique aperiendi Sacra mysteria: non solum, vt eorum memoria perennaret, sed etiam vt alios dotibus similibus ingenij, doctrinae, auctoritatisque ornatos prouocaret ad illorum imitationem. Versibus paulò ante allatis laudatur Cannus, egregius concionator, factusque ad Idaeam Ariae-montani.

XXVIII.

Induet affectus similes, propriamque putabit
Quisquis aget causam sacram, diuinaque rerum
Suscipiet momenta sibi, si Numinis vlla est,
Aut pietas, aut tantarum reuerentia rerum:
Et cura maiore etiam dicenda parabit,
Quàm si pro proprijs subeat certamina rebus,
Et proprias agitet causas, quantòque minora
Diuinis humana putat, tanto vsque calore
Ardeat ille magis, qui Diuum suscipit vllam
Materiem veris peragendam Vocibus, atque
Affectu maiore animos pertentet inertes.

ADNOTATIO.

QVià Ariae insidebat amor reddendi Sacros Oratores quales ostendit oportere illos esse; idcircò iterum figit clauum, quem etiam aliàs fixerat. Verus enim amator, numquam sibi satisfacit, aut dicendo, aut agendo. Propterea nollem putaretur hic grauissimus auctor fuisse loquax, & saepiùs eadem

temerè iterans: mallem crederetur esse (vt est) solicitus de negotio quàm maximo. Maximum enim verè negotium est, sacros Oratores sui muneris reddere memores, vt illud impleant.

XXIX.

Quem vocis dabit ipsa modum natura, per artem
Fingimus in melius, nam sunt præcepta sonandi.
Vt, tibi si vehemens eruperit impetus, illum
Temperet ars, certum iubeat seruare tenorem,
Et flecti in varias species, habitusque per omnes
Fortunæ affectusque trahi, vt vox ipsa loquatur,
Et sine verbo etiam conceptus indicet omnes.
Quippe hoc in mutis cernas animantibus; illis
Pro sermone dedit vocem Natura, dolorem,
Lætitiamque, iras, sæuosque Cupidinis ignes,
Et pietatis adhuc speciem, affectusque Parentum,
Et quæcunque animæ turbamina fundere norunt.
Ast homini sermo, diuinaque munera linguæ
Verbaque concessa humanæ dulcissima vitæ
Vincula, quæ occultos motus, animique recessus,
Affectusque omnes referant, quæ singula monstrent
Momenta, atque omnes partes, communia iungant
Officia, & poscant, capiant, reddantque vicissim.
Prætereà nihil addoctas fuit aptius artes.
Hoc aditus pandit sacros dicentibus, inque
Intima doctrinæ prorsus sacraria ducit;
Atque latens verum penitus per viscera mundi
Rimatur, clarasque in luminis eruit oras.
Hæc igitur formanda simul, sociandaque ijsdem
Legibus, & vocem sermo non deserat vllus.
Nec vox sermonis faciem, momentaque fallat;
Sed tibi ad Officium concurrat vtrumque vicissim;
Nec quicquam simulare decet, nec fingere falsum.

ADNOTATIO.

DOcet vocem esse homini datam, vt per eam reuelet ea, quæ latent in animo. Proinde, sicuti varia in eo delitescunt, ità variè ab hac hominis voce sunt reuelanda; ne sermo externus differat ab interno, sed illi se conformet. Quarè si ani-

animus non est commotus, etiam vox commoueatur: si animus affectu est aliquo incitatus, se quoque incitet vox, vt illum exprimat. Natura enim dedit homini vocem ad omnia animi sensa promenda. Ars se occupare debet in aptando vocis humanæ instrumento varijs animi, aut conceptibus, aut motibus reuelandis, quod fit per pronnunciationem.

XXX.

Intereà caput, atque humeri, totumque mouetur
Corpus agentis, & ad vocem conceptaque mentis
Adiungunt sese, & vario per singula gestu
Cernuntur! sed & ipsa loqui, verbisque ministris
Fert vires, animum, motumque afferre videntur:
Quippe mouet cunctas partes, atque omnia cogit
Membra animus seruire suis affectibus, vt iam
Non eadem facies, non idem corpore toto
Gestus in iratis, nec motus tristibus idem:
Non eadem metuentis erunt spectacula: totis
Artubus ille tremit; sed qui bona nuncia læto
Percepit vultu, gestu quoque dispare gaudet.
At miser ingenti confectus sæpè dolore
Cum gemitu propriam in speciem, gestumque mouetur.
Hæc caput in primis variat, pars optima nostri
Corporis, atque animæ regnum, sedesque superna.
Nam quoties animo, varijsque agitata procellis
Concutitur mens ipsa, prius sua regna fatigat,
Et primas turbat sedes, mox incipit ipsum
Indicio caput internos ostendere motus:
Annuit, aut renuit, vel protinus innuit, irat.
Ostendit, iurat, minitatur, singula motu
Prosequitur vario, signisque loquacibus ornat.

ADNOTATIO.

Agit de motu totius corporis, & varietate gestuum, ex quibus resultat Actio. Hæc omnia fundantur in natura. Præsertim nonnulla tangit, quæ spectant ad caput; in quo tamquam in sede primaria, suos animus motus dat conspiciendos.

XXXI.

XXXI.

Nec tamen id crebris ſine crimine motibus vnquam
Concutitur: namque aut ſtultæ ſunt maxima mentis
Indicia, inſanique hominis, nullo ordine, nullo
Iudicia vertiſſe caput, motuque frequenti
Perdere dicendi Veneremque, modumque, fidemque.
Vt res, ſic rerum comites educere motus
Conueniat, voceſque ſequi, affectuſque loquendi.
Arte opus eſt, & iudicio, quod temperet ipſam
Naturam: quod compoſitos ferat vndique motus:
Nec ſtudioſa nimis, nimis aut neglecta decebunt.

ADNOTATIO.

NOnnulla vitia, quæ occurrere facilè poſſunt in motu capitis oſtendit. Deinde concludit, omnia eſſe artis iudicio temperanda. Adeò vt temperetur natura: neque aliquid permittatur, quod ſit nimis ſtudioſum; alioqui erit affectatum; aut nimis neglectum, vno verbo erit deforme. Medio tutiſſimus ibis, decorumque ſeruabis.

XXXII.

Maxima vis oculis, & gratia maxima cedit.
Nulla adeò magis, aut certis oſtendere ſignis
Fortunas, habituſque poteſt, momentaque mentis
Pars noſtræ: huic ſe ſe effundunt bona gaudia, triſtes
Mœrores, iræque truces, plenæque minarum,
Speſque, metuſque etiam trepidi, ſæuique dolores.
Hæc pars ſola poteſt cœlatum prodere amorem,
Et quæcunque ſolent mentes turbare quietas:
Quippe animis noſtris non pars coniunctior vlla eſt;
Nulla quoque ut plures admittit ad intima formas,
Et rerum ſpecies agit in penetralia plures;
Queis anima indicijs agitur, penituſque mouetur,
Sic nulla, aut plures motus, plureſque referre
Affectus valet occultos, & prodere mentis
Arcana, & quicunque latent, moreſque, habituſque.
Quod ſi dicendo tua commoda cuncta putabis,
Damnaque, fortunaſque omnes, vt ſæpè docendo,

Præ-

Praecip mus, mox ipsa oculos formabit agentis
Natura, atque sequi, mentemque, habitusque videbis
Internos, & conuenient cum vocibus ipsa
Lumina, conceptos motus educere prompta.

ADNOTATIO.

OCuli, nobilissima pars capitis, sunt veluti specula, in quibus animæ sensa, & affectus apparent. Proinde docet Arias eos esse arte gubernandos.

XXXIII.

Si verò affectus nullos tu concipis intrà
Pectora, sed fictos motus, simulataque verba,
Comœdam penitus faciem meditaris agendi;
Tunc tibi maiori cura, studioque cauendum
Ne mentita animum varient tua lumina vultus,
Et prodant artis studium, momentaque vana.
Namque cadunt malè compositi, nec mentibus imis
Hærentes rerum affectus, nec ficta per omnes
Signa animus potis est semper producere partes.

ADNOTATIO.

EOs, qui non dicunt ex animo, neque causas agunt tamquam suas, monet, vt aliquid pronnunciantes, Comædorum in modum, & fictè reppresentantium, sint sibi attentissimi, ne appareat eorum fictio.

XXXIV.

Ipsa etiam manus, & digiti, & duo brachia multis
Vsibus esse solent dicentibus: omnia namque
Persequitur manus ipsa animi meditata, nec vlla
Pars hominis festina magis, magis aptauè multis
Officijs; non ad vitam magis vtilis vlla est.
Vnde tot articulis, tot flexibus annuit illi
Versari Natura parens, inque omnia motus
Direxisse loca, & partem prætendere in omnem:
Seù suprema velit rerum, siue infima, rursus,
Siue vtrumque latus, siue anteriora petisse;

Posteriora etiam, seù deuoluatur in Orbem;
Omnia concessum contingere; & ipsa loquentis
Affectus, vocesque simul comitatur, & vna
Vocis habetque vicem certam, munusque loquendi
Vsurpat, nec clara minus, nec certa, minusue
Intellecta: Procul socium solet illa vocare,
Cuius semotas vox non peruenit ad aures.
Consulit illa fugam socijs distantibus; illa
Dimittit puerum, concedit & illa, negatque:
Blanditur, placatque minas, & concitat iram,
Atque animos agitat, iuuenesque in prœlia trudit,
Et reuocat, pellitque simul, vel sistit euntem.
Denique non vlla est humanæ motio mentis,
Quam non priuatis signis manus vna sequatur.
Atque adeò populis cunctis, spatiumque per omne
Terrarum, & sonitus varios, per munia linguæ
Diuersa, vna omnes manus exercetur in vsus:
Et cunctis eadem mentis momenta vicissim
Explicat, ac veluti sermone ostendit eodem.
Ergò cura tibi hanc fuerit componere ad omnes
Dicendo affectus, animi, ac meditata monere.
Siue roges, referasue aliquid, seù maxima quæque
Admirere, neges, concedas; denique quidquid
Ostendisse pares, vel commemorasse docendo,
Hoc manus ipsa loquax referat, viresque ministret,
Et Venerem, & lucem dictis, atque excitet ipsum,
Quo tibi cum res est Prætorem, siue Theatum.

ADNOTATIO.

EGit Arias de manuum gestibus, qui certè in Oratore mu- tum habent momenti, & ponderis: easque præcipit art- (hoc est consilio seu recta ratione) esse mouendas, & vari è mouendas prò diuersitate internorum habituum.

XXXV.

Sed fuge ridiculos motus, nimiosque loquendo
Corporis, atque manus stultam testantia mentem
Momenta, & crebros concussus verticis. Atque id
In primis vitium iubeo vitare memento,
Ne referas Mimi saltus, nec brachia rebus

Omnibus aptaris, tantumque tua exprime doctus
Quæcumque afficiant mentemque, animumque quiete
Perturbare sua soleant: sed non tamen omnes
Exerce motus; non omnia verba sequantur,
Officiumuè manus, vel corporis impetus ardens.
Nec tu si gladios memoras, celeresue sagittas,
Iussa venena, necem illatam, vel flagra, fugamque,
Aut imitere fugam pedibus, gladioque ferire
Te ostendas, non extendas torquere sagittas,
Nec flagris quemquam cædas, gladiumue minantem
Non referas, neù mortiferum præbere venenum.
Hæc dixisse satis, verbisque agitasse superbis,
Sed retulisse modis scenæ vetat ipsa decere
Lex operis, grauitasque loci, & natura loquendi.
Arte opus est, & iudicio: nam finis agendi
Persuadere fuit, non ludere, & acta referre:
Inflammasse animos dictis, & motibus, at non
Vsque theatrales formas, & scenica semper
Edere ridendo populis spectacula motu.

ADNOTATIO.

Actio, quæ digna sit Oratore, excludit illam actionem, qua Mimi, siue gesticulatores vtuntur. Volunt enim hi mouere ad risum auditores, & spectatores omnia gestibus repræsentando. Hoc turpissimum esse homini ciuili ostendit Arias, adeòque excludit ab eodem mimicam imitationem.

XXXVI.

Adde etiam, quod sacratis expellere Templis
Multa velim: namque & manibus complodere stultum est.
Et tamen id, nimiumque frequens, nimiumque receptum.
Et sese in summos digitos attollere, toto
Corpore contremere, ementiri sæpè dolorem
Iliacum, laterique manu succurrere lasso,
Si cui natura indulsitue, laborue, dolorue;
Non tamen ars vnquam vitium permiserit vllum
Affectare; sed is condemnat quisquis agendo
Inuitus patitur; sed cur non damnat ineptus
Sectator, sed vt ad vitium se accommodet omne
Non ad virtutes dicentis? Fallimur omnes,

Et fa-

Et facilè à veri ſpecie, & grauitate, modoque
Ad leuiora gradu prono properare ſolemus.

ADNOTATIO.

Monentur Sacri Oratores, vt grauitatem ſeruent, & decorum in actione, id enim petit dignitas perſonæ, quam gerunt, locus in quo dicunt, & res de quibus loquuntur. Actio autem ſpectat ad motum corporis, ſicuti pronnunciatio ad vocis vſum.

XXXVII.

Hæc vbi dum facilem, ac dulcem, vi carminis, artem
Ipſe paro (Gaſpar) ſtudio properante canebam,
Quæ primum modulata mihi, atque incœpta vbi noſtræ,
Gaſpar amicitiæ dulces decerpere fructus,
Et ſociam licuit pariter coniungere vitam.
Nunc ſpatia immenſa, alterius longiſſimus orbis
Tractus, & occidui nunc hoſpes ſolis, vtrumque
Separat Oceanus, ſtudioque incendit amico:
Et nunc cura tui, Gaſpar, tenet anxia pectus
Oppreſſura meum, donec te ſoſpite, nobis
Contingat dulces iterum decerpere fructus,
Et præſente frui poſſim te, Gaſpar, amico.
Annuite, ò noſtris clementia Numina votis,
Diua Maris ſydus, Mundi lux maxima noſtri,
Quæque ſoles tempeſtates ſedare ſereno
Lumine, & incolumes pelago traducere Nautas:
Per ſacram te, nos prolem dulciſſima Cœli
Pignora adorantes petimus, votiſque precamur,
Redde animum, pia Virgo, mihi, miſerere laboris,
Et lacrymas compeſce meas: Sociumque fidelem,
Quem tam longè oculis noſtris, terriſque remotum
Vocibus aſſiduis, curaque ardonte petitum
Eſſe vides nobis, hunc tu mihi Diua vocata,
Redde precor, laudeſque tui, dulciſſima, Vatis
Admitte, & quæ dona, tuas promittimus, aras
Ornatura, tuum auxilium teſtantia ſemper.

AD-

ADNOTATIO.

Finem impositurus operi suo, appellat amicum, cui dedicauit illud in primis suis paginis, Gasparem [illegible], Velesium, Alcorerum, absentem. Deinde pietatis [illegible] ad Reginam Cœli vota dirigit, illamque inuocat, vt amicum sibi velit restituere.

XXXVIII.

Tuque adeò, nostrasque preces, uarmenque iuuato
Aluare Lugne, animæ semper pars optima nostræ;
Namque etiam te Gaspar amat, tu Gaspare amicò
Vsus eras, grato cum te mea pulcra tenebat
Rupes, Musarum secessus, grataque vtrique
Lugue tibi, & nobis sedes, & grata Camœnis:
Nunc nobis viduata vacat, dum munera sacræ
Ipse ego militiæ, diuinaque sacra frequento,
Atque Iacobæos enses, studiumque sacratæ
Religionis, & ingenuas colo Lugue, phalanges.
Tu verò in syluis altis, & montibus ò quàm inamœnis!
Abditus æthereum meditaris ducere vitam,
Atque parem Superis, exoptandamque quietem
Intentas, sanctisque libris, studioque sacrato
Arcanas voluis chartas, & numina semper
Alloqueris, gratoque foues tua pectora fructu
Semper: Vt ex curas hominum contemnere discas,
Atque tuam sortem laudes, & munera vitæ
Humanis maiora bonis. His artibus, his tu
Instructus studijs, Vrbes, populosque fideles
Deinde petis, quos de Diuinis (Aluare) rebus,
Sæpè doces, atque humanum contemnere suades
Omne opus, & votum, diuinaque munera regni
Optare ætherei, totisque capessere curis
Atque viam monstras certam, obsequiumque, fidemque,
Seruandasque doces leges, præceptaque Sancta
Exponis: Dux ipse viæ, exemploque probandus.
Tu precibus votum nostrum, bone Lugue iuuabis,
Et chari mecum reditus orabis amici.
Versibus intereà nostris, grataque Camœna,
Ingenij partu exigui lætare, meumque



